


1. Alberti / Valent: / diff. de
munificentia Divina in
N. T. Lipsie, 1668.
2. Arcularij / Dan: / ~~diff. fustentem~~
theses theologice de Quæstio-
nibus a liquot controversis,
Marburgi, 1695.
3. Hunnij / Azid: / proposi-
tiones theologice de eter-
na predestinatione Filio-
rum Dei ad salutem,
francofurti, 1594.



99A 6909



De duobus hominis
nouissimis,

MORTE ET RE
SURRECTIONE,

Commentatiuncula

Constans *ἑστὴ καὶ ἀνελδῆσθαι* perspicua, Cui breuis
appendix, De fine & reparatione mun-
di annexa est.

Vtraq; proposita
A

Zacharia Schiltero S. Theologiae Doctore
& Professore in inclita Acade-
mia Lipsensi.

Ut pro more huius Scholæ publicè de vtraq; sermo-
nes conferantur placidi, cùm veritatis illuſtran-
dæ tum falsitatis magis conspicuæ
reddendæ causa.

Ad XVI. Diem Mensis Septemb.
ANNO CHRISTI NATI M. D. XCVII.

L I P S I Æ,

Ex Officina typographica Abrahami Lambergi.



De quibus hominibus
notis

MORITZ
SVRRECTIONE

Compendium

Constitutio
de quibus hominibus
notis

Compendium

De quibus hominibus
notis

Compendium
de quibus hominibus
notis

Anno 1711

LIPSIÆ

Ex Officina typographica Abrahami Ambergi



THESES.

MUltæ graues causæ sunt, cur
consideratio crebra & attenta nouis-
simorum nostrorum maiorem in mo-
dum nobis commendetur, non modo
in sacris literis passim Sirac. 7. 28. &
38. Deuter. 32. Prouerb. 19. sed etiam
à vetustis scriptoribus Ecclesiasticis,
præsertim ab Hieronymo, Matth. 24.

& 25. Augustino in speculo peccatoris cap. 4. & 5. & home-
lia 48. ad fratres in eremo, & Bernhardo de primordijs, me-
dijs & nouissimis nostris, & alijs.

I. Primum enim quemadmodum proprium sapientiæ di-
uinæ est, non modò præsentia intueri, sed futura etiam præ-
uidere & prædicere: ita omnibus hominibus connatum est
mirificum desiderium non modò quæ ante pedes sunt, sed
etiam ea, quæ longè post euentura sunt, prospiciendi, cuius-
modi sunt imperiorum mutationes, Ecclesiæ postremi tem-
poris calamitates grauissimæ, vniuersale iudicium, finis
mundi & hominum, eorundemq; instauratio, vnà cum gloria
æterna piorum & impiorum pænis perpetuis. Quod studi-
um, si radijs lucis diuinæ regatur & ad verū finem dirigatur,
laude dignum est, & sapientiæ Ecclesiæ Dei propria & pecu-
liaris est.

II. Deinde nulla est consolatio, inter multiplicium huius
vitæ periculorum & turbarum procellas erigendis, susten-
tandis & à periculo desperationis vindicandis animis no-
stris efficacior fide & spe diuinæ gratuitaq; piorum τῆς ἀντα-
ποδοσεως ἢ μὲν ἀποδοσεως ijsdem in morte, resurrectione, extre-
mo iudicio vitæq; æterna propositæ, secundum promissiones
amplissimas in Epistola ad Ebraeos sæpissimè repetitas &
nobis inculcaras.

III. Tertio, Excepta morte Filij Dei, speculo iræ Dei ad-
uersus peccatum lucidissimo, ad coërcendam profanam
peccan-

I.
Vtilitates
doctrinæ de
nouissimis
hominis
quatuor.

II.

III.

IV.

peccandi libidinem & licentiam, ad minuendam curam & amorem præposterum fluxarum & caducarum rerum huius mundi, ad excitandum in nobis studium veri timoris DEI (qui omnis veræ sapientiae fons, pietatis pædagogus & virtutis custos est) denique maturandæ sine mora pœnitentiæ salutaris & a limarum à sordibus peccatorum fide expurgandarum (vt verbis Chrysostomi vtamur) vitæq; emendandæ, nullus stimulus acrior, nullum calcar vrgentius est non modo mortis & iudicij vniuersalis, sed pœnarum etiam & cruciatuum inferni nunquam finiendorum memoria & metu assiduo, vnâ cum beatitudinis sempiternæ desiderio ardenti & perpetuo, sicut inter alia testatur vox Siracidæ: In omnibus operibus tuis recordare nouissimorum tuorum & in æternum non peccabis, cap. 7.

IV. Quid? quod fides horum indubitata & confessio publica vsq; adeò necessaria est Ecclesiæ & singulis pijs, contra omnibus mundi temporibus in hunc vsq; diem passim dominantibus *επιπαιστας*, Epicuri de grege porcos, vaticinia Spiritus sancti de his nouissimis mendacij arguentes, teste Petro, vt vno horum vel negato, vel in dubium vocato, non modo fundamentum totius fidei & religionis Christianæ nutet & vacillet, sed salus etiam Ecclesiæ periclitetur vniuersa. 2. Pet. 3.

VI. Visum est itaq; cum veritatis muniendæ, tum fidei nostræ confirmandæ causa, disputationes nostras hætenus de præcipuis fidei Christianæ articulis ordine institutas thesibus de quatuor hominis nouissimis, vt veteres vocant, concludere, ex sacris literis & pia antiquitate ea tantum decerpendo, quæ accurata discussione & disquisitione maxime digna & ad DEI gloriam non minus, quam ad nostri consolationem & emendationem plurimum momenti habere videbuntur, curiosis quæstionibus & scitu non necessarijs, aut non reuelatis, consultò omisis & in æternam scholam reseruatis.

VII.
 Nouissima
 hominis
 quatuor,

Etsi autem antiquorum alij plura, alij pauciora, eaque
 alio

alio atque alio ordine numerant nouissima: videtur tamen clausularum, in quibus cardo tam salutis, quam damnationis æternæ vertitur, respectu, præ alijs hic titulus deberi quatuor rebus extremis, optimo iure, nimirum 1. Morti hominis, 2. Resurrectioni eiusdem. Quibus de transitu & mutatione mundi quædam attextenda sunt. 3. Aduentui Filij Dæi & hominis ad iudicium extremum, exercendum de viujs pariter & mortuis, & iudicij peragendi τῆ ὑποτυπώσει. 4. Saluti seu beatitudini piorum & damnationi impiorum æternæ.

De quibus priora duo tantum, certis capitibus inclusa, VIII, Dæo adiutore, quantum, citra obscuritatem, iusta breuitate fieri poterit, examinanda nunc nobis sumemus, inter quæ primum locum temporis ordine sibi vendicat τῶ μικροῦς μὲν transitus opinione celerior.

I.

De primo genere nouissimorum
HOMINIS videlicet

IX.

D E M O R T E.

NON modo tota scriptura plena est querelarum tristissimarum de fragilitate & breuitate momentanea vitæ humane, præsertim Iob. 14. Sapient. 17. sed etiam communis testatur experientia, mortem singulis momentis æquo pede pulsare pauperum tabernas regumq; turres, (Siracida 10. & 40.) Veruntamen quia nihil incertius ipso articulo seu hora mortis, teste Siracide 18. Ideò tantò tamq; profundo veterno iacet oppressa, immò tanto stupore laborat maxima pars omnium nostrum, vt animos nostros cogitatio de communi tyrannide mortis hostis potentissimi subeat rarissimè, non aliter atq; cum morte pacto, cumq; inferno inducijs factis, Esaia 28.

A S.

Certissi-

- X. Certissimum est autem fragilitatis & mortalitatis nostræ considerationem attentam frequentemq; ad discutendam crassam cæcitatem & profundam securitatem excutendam, vt militum instar, in excubijs stantium, quouis tempore veris & continuis exercitijs tuendæ fidei & bonæ conscientiæ aduentum Domini alacriter præstolemur, doctrinam de morte plurimum momenti habere. Atq; hoc consilio eam capitibus aliquot comprehensam initio duximus hoc tempore proponendam.
- XI. Potest autē necessaria de morte doctrina breuitatis studio quinque capitibus includi rectissimè: I. Definitioni nominis II. Definitioni rei. III. Diuisioni generis in species IV. Explicationi causarum. V. Quæstioni de animæ post mortem, sorte & conditione.

I. De usu vocabuli mortis.

- XII. **V**ocabulum mortis πολύσημον, præcipuè verò πεντάσημον est. I. Significat in genere omnes miseras & calamitates generis humani, comites peccati indiuiduas, de quibus Statius: *Mille modis miseros lethi mors vna fatigat,* Vt Morte morieris, Gen. 3. Tollatur à me tantum mors ista Exod. 10. Indies morior, 1. Cor. 15.
- XIII. II. Mortem spiritualem, ipsum peccatum non remissum, propter quod homo obnoxius est iræ Dei & pænis præsentibus ac æternis, vt: Mortui estis in delictis vestris, Ephes. 2. Coloss. 2.
- XIII. I. III. Mortem corporis, qua redit in cinerem, quod fuit ante cinis, & spiritus ad Deum reuertitur Eccles. 12.
- XV. IV. Mortem animæ, quæ non est redactio animæ in nihilum, nec discessus tantum animæ à corpore, sed discessus, seu diuulsio Dei ab anima, qui est vita animæ, secundum Augustinum sententia 236. collecta à Prospero & de ciuitate Dei lib. 13. cap. 2. vel non abolitio substantiæ, sed consortij diuini amissio tantum, secundum Hieronymum & coniectus cum

HOMINIS NOVISSIMIS.

cum hac horribilis pavor & cruciatus animæ nunquam finendus, ortus à sensu iræ Dei aduersus peccata & damnationis æternæ, Esaiæ 66. Vbi vermis eorum, &c. Psal. 49.

De hoc gradu mortis concionantur dicta insignia: Nolo mortem peccatoris, &c. Vos in peccatis vestris moriemini. Qui non diligit, manet in morte. Circumdederunt me dolores mortis, &c. Videre & gustare mortem, non videre vitam. Et hanc Iohannes vocat mortem secundam, Apoc. 2. & 20. XVI.

V. Mori peccato & legi est liberari partim à iure accusatione & damnatione peccati & legis, partim à dominio seu imperio peccati & legis, & viuere per fidem in Christum (Gal. 2) Deo & iustitiâ, suffocato per baptismum & penitentiam quotidianam peccato, & incoata nouitate vitæ, efficacia spiritus S. Rom. 6. Sed nos cæteris significatis in præsentia omisis, de morte corporis tantum vsitatam & necessariam Ecclesiæ doctrinam breuiter repetemus. XVII.

II. Definitio mortis.

Mortem corporis definit Plato τῆς ψυχῆς ἢ τῆ σωματικῆς λύσιν (διάλυσιν) ἢ χωρισμὸν, citante Gellio lib. 2. cap. 8. Sed quot quantaq; mortis propria in ea desiderentur, lippis etiam notum est & tonsoribus. XVIII.

Sunt autem ad integram perfectamq; mortis descriptionem conficiendam duo potissimum complementa necessaria. I. Mortem acerbissimam diuulsionem seu distractionem arctissimæ dulcissimæq; coniunctionis animæ & corporis, pœnam peccati esse. II. Corpus non in nihilum redigi, sicuti pecudes funditus delentur, sed placido & suauissimo consopitum ad extremum diem quiescere saltem in puluere terræ. Animam verò nexu corporis solutam vel ad æterna cælestis Ecclesiæ gaudia, vel ad damnatorum supplicia transire. XIX.

Et hoc sensu longè exactius & significantius Mortem Apostolus definit ἀπάλυσιν Phil. 1, Simeon ἀπάλυσιν Luca 2. metapho- XX.

THESES DE DVOBVS

metaphora à iugo, à carcere, à peregrinatione & à seruitute sumta 2. Cor. 5. Petrus ἀπόδειξιν τῆ συννώμαλῃ 2. Pet. 1. Ioannes mortem primam Apoc. 2. & 10. Atq; eandem ob causam mors piorum dulci non minus quam utili & necessariz quieti dormientium comparatur Esaiæ 25. 26. 27. Luc. 8. Ioh. 11. 1. Cor. 15. 1. Thefl. 4. Apoc. 14.

III. Diuisio mortis.

XXI. **S**I species consideres, mors corporis triplex est. I. Naturalis, qualis est Abrahæ & cæterorum sanctorum patrum, de quibus dicitur: Quod iuerint ad patres mortui pleni dierum & sepulti in senectute bona Gen. 16. 1. paral. vlt. & c. II. Violenta vt Abelis, Baptistæ & aliorum. III. Singularis eorum, qui perierunt diluuiio, Sodomitarum, Gomorrhæorum, Core, Datan, Abiron, & c. quæ exemplum est iræ Dominici peculiare.

IIII. Causarum explicatio.

XXII. **A**D causas quod attinet, etsi causas mortis, quas sacrae litteræ monstrant, causis, quas philosophia affert & recta ratio, instar lucis tenebris præstantis, longissimè antecellere constat: negari tamen non potest, collationem vtriusq; generis causarum & Deo gratam & Ecclesiæ utilem esse, maximè verò ad accendendam erga Dominicum gratitudinem in nobis singularem pro clarissima luce verbi diuini non parum momenti habere.

XXIII.
Causæ mortis philosophicæ.

Primum enim Philosophia non modo veros fontes mortis, morborum & cæterorum mortis præludiorum ignorat, vt non immeritò Poëtæ hic exclamatio vsurpetur.

O miseræ hominum mentes, o pectora cæca:

Sed etiam pro vetis causis profanas, fallas & impias causas fragilitatis tam præstantis naturæ & fugacitatis vitæ humanæ milleq; morborum seuissimorum comminiscitur.

Omnia

Omnia enim mala ista vel ad fati necessitatem inévita- XXIV.
bilem refert, teste Manilio: 1.

Fata regunt homines, certa stant omnia lege,
& Pythagora: *δανείν πέρας αἰώνων*, vt Stoicī & Astrologi
impij, qui mortem coniunctionibus, oppositionibus & mo-
tibus corporum cœlestium acceptam referunt: vel ad ca- 3.
sum & fortunam, vt Epicurei apud Lucanum lib. 2.

Siue nihil positum est, sed fas incerta vagatur.
Fertq̄ refertq̄, vices & habent mortalia casum.
Et quæ sunt huius generis commenta alia satis perplexa, quibus
libri philosophorum & poëtarum ac aliorum profano-
rum scriptorum pleni sunt,

Qui verò ex his saniores sunt, etsi ad veritatem propius XXV.
accedunt, & de propinqua causa mortis & morborum in ma-
teria elementari probabilem & plausibilem in modum dis-
ferunt, quam Aristoteles ad *σείσησιν*, id est, priuationem refert,
qua materiæ propensionem & inclinationem designat, quæ
nunquam vna forma contenta variè vagatur & fluit, & mira-
vicissitudine cœcoq̄ impetu, prioribus formis abiectis, sub-
inde novas & quidem deteriores & inferiores appetit lib, 1.
φυσ. ἀκροασ. Communis verò philosophorum & medicorum
sententia mortem humorum *τῆ δυσκρασία* seu temperamenti
intemperiei acceptam refert: in maxima tamen naturæ ob-
scuritate & caligine, ac rerum crassa ignoratione isti omnes
adhuc versantur.

Primum enim mortem hominis naturæ præstantissimæ XXVI.
cum pecudum morte & putrefactione plantarum, quæ *πανω- 1.*
λεθρία est & toto genere distincta, confundunt, quasi homo
non aliter atq̄ bruta aut plantæ, vel ob languorē & defectū,
vel propter suffocationem humidi radicalis & caloris natiui
emoriatur naturaliter, vel *μαρτύρησι* vel *σβόσει* intercedente,
cum mors homini nequaquam naturalis sit, vt plātis & pecu-
dibus, sed sit naturæ ad imaginē Dei conditæ horrēda destru-
ctio, per & propter peccatū, invidia diaboli, iusto Dei iudi-
cio, in naturam humanam aliundè inuecta, vt postea dicetur.

B

Deinde

XXVII. Deinde etsi utcumq; videt ratio & natura causam pro-
 II. pinquam mortis & morborum in materia positam mutationi
 & corruptioni propter quatuor qualitatū πόλεμον ἀσπονδον
 obnoxia: Remota tamen, prima, vera, perfecta, principalis
 & sufficiens causa mortis, à qua pugna illa quatuor qualita-
 tum inter se acerrima, aut fluxus ille materiæ assiduus oritur,
 quæ est lapsus primorum parentum, & hunc secuta omnium
 creaturarum maledictio, longè supra captum & conspectum
 rationis humanæ posita est, ita vt ab ingeniosissimis acutissi-
 misq; philosophis inquisitione etiam diligentissima indaga-
 ri non potuerit, sicut tristissimæ quærelæ & lamentationes
 admodū patheticæ in scriptis philosophorum & poëtarum
 testantur.

XXVIII. At doctrina Ecclesiæ non modo radicem seu scaturigi-
 nem, vel, vt in scholis loquimur, causam primam & princi-
 palem, seu vniuersalem mortis & cæterorum malorum ma-
 ximorum, velut digito intento, monstrat, sed etiam ἀνεξιφάρ-
 μακον præsentissimum, quo mala ista tolli vel sanari queant,
 ac firmas & efficaces consolationes mortis & malorū omni-
 um victrices suggerit & suppeditat, præsertim in morte &
 resurrectione Christi & nostra propositas ignotas philoso-
 phiæ & omnibus hominibus vitula Christi non arantibus.
 Sed nos relictis nunc remedijs, pro ratione methodi institu-
 tæ, explicatione causarum mortis hoc tempore contenti
 simus.

XXIX. Sunt autem veræ & principales causæ efficientes mortis,
 Cause mor- morborum & aliorum atrocissimorum malorum, quibus
 tis Theolo- cum conflictatur imbecillis natura humana, reuelatæ in do-
 gicæ. ctina à Deo tradita, tres potissimum.

XXX. Prima & antiquissima causa mortis & morborum est
 I. lapsus primorum parentum & peccatum originis, quod per
 illum velut per ianuam amplissimam in gressum est in totam
 naturam humanam, eiq; actis altissimè radicibus per omnem
 vitam infixum inhæret tenacissimè, quod est teterrima ma-
 ximeq; abominanda totius naturæ nostræ, velut veneno in-
 fectæ

fectæ perditæq; prauitas & peruersitas inenarrabilis, Gen. 6.
& 8. Deut. 32. Ierem. 17. Rom. 8.

Huius indiuidua comes est ira Dei aduersus peccatum, XXXI.
sub qua nobis æternum pereundum fuisset, si absq; Christo II.
fuisset, quam nouam Mosis Rhetoricam vocat Lutherus Psal.
90. Non enim non potest Deus iustus iudex grauitè irasci
peccato, atque idè omnes homines peccato pollutos mor-
te destruere, perdere & delere, instar ignis absumentis Deut.
4. Quia defecimus in ira tua. Psal. 90. Stipendium peccati
mors est, corpus obnoxium est morti propter peccatum, A-
culeus mortis peccatum, &c.

Postrema est tyrannis diaboli, de qua dicitur: Inimici- XXXII.
tias ponā, &c. Diabolus est homicida ab initio. Inuidia dia-
boli mors peruasit in mundum, diabolus mortis habet im-
perium in omnes, &c.

Materiæ circa quam, seu obiecti, vel potius subiecti ra- XXXIII.
tionem habet totum genus humanum, Rom. 5.

Forma definitione est expressa,

XXXIV.

Finis seu effectus mortis piorum duplex est:

XXXV.

I. Totius compositi liberatio à communibus oneribus hu-
ius vitæ æthna grauioribus & intolerabilioribus, videlicet
1. à peccato: Eripuisti pedes meos à lapsu Psal. 116.
2. ab insidijs & furore diaboli: Conteret Satanam sub pe-
des nostros, Rom. 16. 3. à scandalis mundi, qui totus in
maligno positus est, 1. Iohan. 5. 4. à lacrymis oculorum,
id est, ab omnibus huius vitæ ærumnis & miserijs Psal. 84. 90.
116. Apocal. 14.

II. Collectio ad patres, Gen. 15. Et Deut. 32. ad Christum, XXXVI.
Phil. 1. Lucæ 23. conspectus Dei illustris, & colloquium cum
Deo & sanctis æternum, quibus cum immediata fruitio lucis,
sapientiæ, iustitiæ & vitæ æternæ, sine caligine, gaudium & læ-
titia sine fine duratura, & celebratio Dei sine defatigatione
coniuncta futura est, iuxta dicta: Videbimus eum à facie ad
faciem, 1. Cor. 13. Sicut est, 1. Ioh. 3. Gaudium vestrum ne-
mo tollet à vobis, Ioh. 16.

B 2

Finiſ

XXXVII. Finis & effectus mortis impiorum è contrario patent, de quibus in disputatione de inferno commodius, Deo dante, dicetur.

V. QVÆSTIO.

De sorte & conditione animæ rationalis à corpore separata.

XXXVIII. **D**Væ sunt causæ præcipuæ, propter quas quæstiones multæ ac difficiles de anima hominis vinculis corporis soluta à scriptorib. veteribus & recentibus, tam sacris quam profanis omnibus ætatibus motæ fuerint & agitata. I. Connata omnibus curiositas, & dubitatio de anima hominis, ubi ex corporis ergastulo euolauerit, ἰπαρξῆς seu ὑποστάσις, imò futuræ nouæ eiusdem cum corpore copulationis, & quidem in omnem æternitatem duraturæ negatio plane impia. II. Piorū cum de sede, tum de sorte & conditione animæ post mortem superstitis anxietas & sollicitudo.

XXXIX. **E**minent autem inter infinitas quæstiones penè duæ potissimum, accurata explicatione dignissimæ. I. sitne anima hominis rationalis mortalis an immortalis? II. Quæ sint præcipua receptacula & domicilia animæ, tam piorū, quam impiorum, seu credentium & incredulorum post hanc vitam, Quo tempore, & quibus medijs in illa loca transferantur, & quæ in iisdem animæ sit tam piæ, quam impiæ fors & conditio, ante seculi consummationem illi soli propria, post illam verò corpori in omnem æternitatem cum eadem communis futura.

I. QVÆSTIO.

De immortalite animæ.

XI.
Testimonia
duplicia.
1. Theolo-
gica.
2. Philoso-
phica.

Tῆς ἀθανασίας ἢ ἀφθαρσίας animæ rationalis in homine documenta seu testimonia sunt duplicia: Theologica seu θεολογικά & philosophica, vel sacra & profana.

Gradus

Gradus diuinorum & cœlestium sunt quinque. I. Ori- XLI.
 go animæ rationalis, diuina inspiratio scilicet in faciem ho- 1. Theolo-
 minis spiraculi vitarum, diuina fabricatio hominis in ani- gica.
 mam viuentem & creatio ad imaginem & similitudinẽ Dei,
 (Gen. 1 & 2.) seu ad vitam æternam (Sap. 2.) id est, transfu-
 sio lucis, sapientiæ, iustitiæ, vitæ & lætitiæ diuinæ in mentem
 hominis.

Nequaquam autem existimandum est, animæ nostræ *πνεύ- XLII.*
τόπιλα seu vnitatem quandam *τῆς ὑσίας* seu *φύσεως* cum Dei ef-
 sentia intercedere, quasi anima hominis pars Dei sit, aut Deo
ὁμοῖσι, aut quiddam *συγγενές*, perinde vt Philo eandem *ἀπό-*
σπασμα ἔδει, Horatius diuinæ particulam seu portionem au-
 ræ appellat lib. 2. sermon. epist. 2. alius ἔβασιλικῆ γῆ μόνιον.

Quo errore non modo Cicero infectus fuisse videtur, XLIII.
 definiens animum ex mente diuina decerptum Tusc. 5.
 Immò ex mente Dei genitum, de vniuersis: Sed multò ma-
 gis Stoici, Priscillianistæ, Gnostici, Manichæi & Græci, te-
 ste Tertulliano & Epiphanio. Vnde illud Pythagoræ na-
 tum: *Ἐπεὶ θεῖον γένος ἐσμὲν*. Nihil enim Deo *ὁμοῖσιον* aut *συγγε-*
νές est, nisi vel *γεννητὸν* vel *ἐκπορευτικὸν* sit.

Quia potius firmiter statuendum est, animam rationa- XLIV.
 lem spiraculum factum seu creatum, id est solo flatu Dei cor-
 pori formato inditum & immissum esse, cui non substantiæ, sed
 qualitatatum tantum, id est, sapientiæ & virtutum imago & si-
 militudo cum Deo intercedat, ratione causæ, non materialis
 & formalis, sed tantum efficientis, agentis & conseruantis
 creata omnia, tanquam spiritui mutabili, respectu beatitudinis
 & damnationis, ad Dei differentiam, cuius natura est immu-
 tabilis, secundum Augustinum in sententijs prosperi, ex Irenæo
 lib. 2. cap. 65. In quam sententiam alibi idem Augusti-
 nus: Adoptata est, inquit, anima in genus Dei, & immortalis
 tate donata mirabili dignatione gratiæ, non parili dignitate
 naturæ, ex eodem Irenæo.

II. Oracula Spiritus S. *ἔγγραφα* perspicuè testificantia, ani- XLV.
 mam hominis esse spiritum à corpore separabilem, nec in-
 teritum.

teritui obnoxium, sed putrefacto corpore ἀὶ πειρώσῃ & suas actiones obeuntem, cuiusmodi sunt: Nolite metuere eos &c. Matth. 10. & sanctos patriarchas, quamuis vita defunctos, coram Deo tamen viuere, parte scilicet meliore anima, in spe vitæ restituendæ etiam corporibus, (Matth. 22.) Moſen & Eliam item, licet annos 1500. prius rebus humanis exemptos: tamen Christo & discipulis in monte apparuisse & collocutos esse. (Matth. 17. Luc. 9.) animas mortuorum piorum coram throno Dei apparere, eiꝫ dies & noctes inſeruire, vindictam à Deo efflagitantes, Apocal. 6.7. & 20.

XLVI. III. Inſignes ſententiæ ſcripturæ de animarum receptaculis poſt mortem earumꝫ in his ſorte & conditione, quæ paulò poſt colligendæ ſunt. Nihil enim horum de anima hominis, ſi poſt mortem in aëre diſſiparetur, dici poſſet.

XLVII. IV. Meritū Chriſti tam corpori, quam animæ hominis æternæ beatitudinis reſtituendæ cauſa præſtitum Ioh. 3.6. & 8.

XLVIII. V. Comminatio iudicij diuini poſt mortem ſecuturi tam cōſolationi piorum, quam terrori impiorum accommodata in ſcriptura Sap. 5. in epiſtola Iudæ & alibi.

XLIX. Inter fundamenta philoſophica duo potiſſimū eminent.
 I. Philoſo- I. Autoritas communis conſenſionis totius ſapientis anti-
 phica. quitatis & præcipui floris omnium gentium, quibus ductum
 I. & auſpiciū legis naturæ & notitiarum naturalium ſequen-
 tibus commune fuit *θεώρημα*: Mortem non eſſe *πρωλεδίαν*, ſed *σποδημίαν* *παρὰ τὸ θεόν*, ſeu commutationem vitæ terrenæ & caducæ, cum immortalī & perbeata in cœlis, quæ ſola vita nominanda ſit, vt Cicero loquitur de ſenectute, ſeu in Cato-
 ne maiore.

L. Quæ opinio recepta & probata ſaniorib. Ethnicis omni-
 bus, Platoni inprimis, Ariſtoteli & Ciceroni, peperit, non modo ſtudio & cupiditatem *πάντα ποιεῖν, ὅπως ἂν εἰς τὴν εἰρη-
 χόνον εὖ ἀκώσωσιν*, & quidē apud *τὰς ἐπίκεικατας καὶ τὰς δειὰς ἀνδρας*, ſed etiam hominum ſapientia & virtute præſtantium, deꝫ ge-
 nere hominum præclare meritorum *ἀποδέωσιν καὶ ἀδυναλιζομένων*, id eſt, inter Deos relationē & beatificationem apud Græcos
 pariter

pariter & Romanos, vt Romuli, Herculis, Liberi patris, Castoris, Pollucis, Themistoclis, Pythagoræ, Phidix, teste Platone τῶν πολιτειῶν lib. 10. & in Epinomide, Phædro & Phædone, vnde præcipua argumenta instar riuulorum è fontibus derivatorum à Ciccone in primam Tusculanam & de Senectute translata sunt.

II. Vnanimis cōsensus eruditæ antiquitatis de origine animæ non elementari, id quod partim ex motu, partim ex sinceritate naturæ animæ, omnis mixtionis & concretionis expertis petitum fuit, sed vel aërea, vel atherea, aut cœlesti, vel diuina, quam consentaneum sit quoque, non in terram aut aquam resolui, sed ad naturam ætheream & cœlestem sibi συγγενῆ ἢ ὁμοειδῆ (subuolare, id quod rursus partim ex animæ motu perpetuo à seipso (qui ἐνδελέχεια ἢ ἐνδελεχισμὸς dicitur) partim ex actionum animæ mobilitate, videlicet ex memoria rerum innumerabilium, ἐκ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν de Deo, de ordine, de numeris, de discrimine honestorum & turpium, & ex principijs omnis generis optimarum artium, quæ omnia diuina sunt, & non nisi à Deo ad hominem peruenire potuerunt, collectum fuit, vt videre est in Catone maiore, & in cæteris scriptis Ciceronianis.

Sed in collatione, disputationes philosophorum de animæ corporis vinculis relaxatæ immortalitate, multis dubitationibus obnoxia, nequaquam dissimiles sunt ventorum & fluctuum procellis contrarijs, quibus naus in immenso pelago concutitur, & hinc inde agitatur, vt Platonis similitudine vtamur, id quod exemplum Catonis apud Ciceronem in dialogo de Senectute testatur euidentissimè.

II. QVÆSTIO.

De sede & conditione animarum post mortem admodum dissimili & inæquali.

Ad ses

LIII. **A**D secundam quæstionē disertè respondent sacrae literæ. I. Sedes tantum duas esse animarum à corporibus separatarum, vnam piorum seu fidelium, alteram impiorum & infidelium, nimirum cœlum & infernum. II. Illas apud Deum beatas viuere in cœlo seu in paradiso, non in purgatorium descendere, nec somno opprimi Epimenideo: Has verò pœnis excarnificari nunquam finiendis in inferno. III. Vtrumq; genus animatum, quamprimum corporis nexu solutæ fuerint, sedes sibi destinatas, sine vlla intercapedine aut interuallo, è vestigio, immediatè & in vno, quod dicitur solutionis animæ & corporis momento, & in ictu oculi directè occupare & occupatas possidere firmiter, sine vlla spe metuë permutatiōis in omnem æternitatem.

LIV. **Q**uaruor genera di-
storum scri-
pturæ. His tribus partibus responsionis tanquam principijs Theologicis confirmandis ex æquo inseruiunt oracula verbi diuini multiplicia, quæ in quatuor classes seu regulas possunt distribui. I. De duorum receptaculorum distinctiōne. II. De eorum occupatione solutionis animæ & corporis comite inseparabili, ἀδιαύρω καὶ ἀνεμπόδιον. III. De alligatiōe possessionis vtriusq; consequendæ ad hanc vitam, exclusis meritorum quasi omnibus remedijs & subsidijs post hanc vitam, siue priorum, siue alienorum. IV. De medijs translationis tam ex Dei, quàm nostra parte. Quibus V. Consensus piæ vetustatis adiungendus est.

LV. **3. Regula.** Primam enim quemadmodum hominum ordines seu genera in Ecclesia tantum duo sunt, vnum in Christum credentium, alterum non credentium, quorum illi ouibus ad dextram, hi hædis ad sinistram collocandis comparantur: Ita quædam Spiritus S. testimonia classes & habitacula animarum post hanc vitam διχόμοια quadam immediata constituunt itidem tantum duo, cœlum scilicet & infernum, illud pijs, hunc impijs excipiendis destinatum, tertio seu medio inter sedē beatorum damnatorumq; loco prorsus excluso.

LVI. Talis est Christi de diuite & Lazaro deq; hiatu ingente narratiō (quem χάσμα vocat) inter ipsos obfirmato, qui perpetuum

petuum *διάνημα* & intercapedinem longissimam significat, in
 star muri cuiusdam lati ignei, interstitij loco interiecti (4.
 Reg. 6.) & cœlestem Hierosolymā ab alijs separantis (Apo-
 cal. 21.) quiq; tam spem, quam metum omnē sortis post mor-
 tem consequendæ vel melioris, vel deterioris, apertè præ-
 cidit & denegat, Lucae 16. interprete Lutero Genes. 25. &
 45: perinde vt liber Sapientia, Reuersio finis nostri, inquit,
 est consignata, & nemo reuertitur cap. 2. Sic Christus vias &
 portas tantum duas arctam & latam, illam ad salutem, hanc
 ad interitum ducentē nobis propositas esse testatur, Matth. 7.

Quò pertinent distinctæ sedis vtriusq; *συνώνυμα* in toto te-
 stamento tam veteri, quam nouo passim obuia, quæ consultò
 in postremam disputationem de nouissimis reijcimus. LVII.

Alia scripturæ pronunciata non modo ipsa receptacula
 animarum distinguunt interuallo perpetuo, sed etiā posses-
 sionis & occupationis horum modum & sortem, ac condi-
 tionem animarum ibidem describunt, perspicuè testantia,
 Animas piorum è corpore discedentes, recta & continuo seu
 è vestigio in cœlestem patriam euolare, & aternæ beatitu-
 dinis cum Christo capite suo participes fieri, imò totius sa-
 cro sanctæ Triaitatis conspectu, ac cœlestis Ecclesiæ con-
 suetudine perfrui, vt sine vlla mora & inter capedine: Ita sine
 vilo metu periculi cœlestis gaudij amittendi: Contra verò
 non credentium animas, compage corporum solutas, in ba-
 rathrum inferni detrudi, & pœnis aternis obnoxias fieri, vt
 sine temporis *εναβολῆ*: ita sine spe vlla criminum expiando-
 rum, & redemptionis consequendæ non modò suis, sed etiam
 aliorum hominum siue operibus, siue pœnis, vel in hac vita,
 vel post eam.

Huius generis sunt testimonia partim veteris, partim
 noui testamenti. I. Veteris: Iustorum animæ in manu Dei
 suat, & non tanger eos tormentum mortis. Item, Illi autem
 sunt in pace Sap. 3: Iustus post mortem in refrigerio erit.
 Sap. 4. Reuertitur puluis in terram vnde erat, Spiritus reuer-
 titur ad Deum, qui dedit illum, & in domum aternitatis, Ec-
 cles.

LVIII.

Regula IX.

LIX.

Secundæ re-
 gulae testis
 monia du-
 plicia.

I.

C

cles. 12. Reuertere anima mea in requiem tuam &c. Ambulabo coram Domino in regione viuorum Psal. 116. Iusti per mortem ad pacem veniunt. Esa. 57. In quamcunq; partem ceciderit arbor, ibi manebit, Eccles. 11.

LX.
II.
1. Testimo-
nia Christi.

II. No v i: Qui credit in filium non condemnatur, qui vero non credit iam indicatus est, &c. Qui credit in Filium, habet vitam æternam, Qui non credit, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eo Ioh. 3. In condemnatione nō veniet, sed transibit à morte in vitā Ioh. 5. Nemo rapiet oves ex manu mea: Ioh. 10. Qui crediderit & baptizat⁹ fuerit &c. Marc. 16. Vbi ego sum, ibi erit & minister meus Ioh. 12. & 17.

LXI.
2. Testimo-
nia Pauli.

Nulla nunc est condemnatio &c., Rom. 8. Mortuus iustificatus est de peccato Rom. 6. Dum sumus in corpore peregrè absumus à Domino, per fidem enim ambulamus, non per speciem. Cupimus autem magis emigrare ex corpore & præsentes apud Dominum esse 2. Cor. 5. Cupio solui & esse cum Christo Phil. 1. Nos credentes introimus in requiem Ebr. 3. Omnibus constitutum est semel mori, postea verò iudiciū Ebr. 9. Reprobos manet *φοβεσθὰ τῆς κρισεως ἐξουσιᾶς* Ebr. 10.

Commendate animas vestras fideli seruatori vestro 1. LXII. Pet. 4. Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus Deus est, ut remittat nobis peccata nostra & *καθαρίσῃ* nos ab omni iniquitate, 1. Ioh. 2. Esto fidelis vsq; ad mortem & dabo tibi coronam vitæ Apoc. 2, Beati mortui, qui in Domino moriuntur *ἀπαύσι* Apocal. 14.

LXIII. Quibus omnibus aphorismis vna eademq; sententia Spiritus S. Constantèr asseritur & inculcatur: Singulos homines vitæ defunctos vel vitæ & beatitudinis, vel mortis & damnationis æternæ fieri participes & vel cū Christo, vel cum diabolo esse in omnem æternitatem.

LXIV. Exempla nobis proposita illustra in historijs, parabolis & visionibus diuinis, de Enocho in paradisum translato, Gen. 5. Syr. 44. De anima Lazari statim in cætum eorum, qui cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo in regno cælorum viuunt,

uunt, translata, & gulonis in ima tartara detrusa & deturbata
 quæ demonstratio omnium est euentissima, interprete A-
 brahama: nunc hic consolatione fruitor, tu verò cruciaris,
 Lucæ 16. De Simeone: Nunc dimittis seruum tuum Domi-
 ne in pace, in latrone: Hodie mecum eris in paradiso Luc.
 23. quam promissionem Bellarminus ipse simpliciter &
 absq; omni figura intelligendam esse fatetur, de sanctorum
 beatitudine lib. 1. cap. 3. In Christo & Stephano animas suas
 in manus Dei & Christi commendantibus Luc. 23. & Act. 7.
 In Paulo cupiente ἀναλῦσαι, & esse cum Christo Philip. 1. Et
 nunc reposita est mihi corona, & c. 2. Tim. 4.

Alia salutem & damnationem animarum, vsq; adeo ar- LXV.
 eto vinculo cum hac vita copulant, vt etiam vtrancq; ad vnum Regula III.
 ministerij verbi & sacramentorum ac clauum, intercedente
 fide cuiusq; propria, in hac vita alligent & astringant, & ex-
 tra illum nullum tempus reliquum esse concedant, cuiusmo-
 di sunt: Quicquid solueritis super terram, & c. Matth. 16. &
 18. Quorumcunq; remiseritis peccata in terra, & c. Ioh. 20.
 Potestatem dedit hominibus dimittendi peccata in terra,
 Matth. 9. Nunc est tempus acceptum, nunc dies salutis, 2. Co-
 rinth. 6. Proinde dum tempus habemus operemur bonum,
 Gal. 6. Recrea me priusquam abeam, & non amplius hic ero.
 psal. 39. Quibus articulus Symboli conformis est: Credo re- LXVI.
 missionem peccatorum, scilicet in hac vita omnium.

His contraria sunt, quæ spem omnem veniæ & salutis
 consequendæ post hanc vitam planè præcidunt: Non remit-
 tetur eis aīōna, Marc. 3. Matth. 12. Frater redimendo non re-
 dimet, & c. Psal. 49. Non nouos: Vox sponsi Christi ad
 quinq; fatuas virgines clausis foribus, Matth. 25.

Alia de medio translationis animarum concionantur,
 quod est ex parte Dei potentia & maiestas dexteræ Dei infi-
 nita, immensa & ἀνεμπόδις Psal. 27. & 43. Esa. 38. & 56. Ioh.
 10. & 14. Actor. 7. ministerium Deo præstantibus angelis
 bonis, veluti stipatoribus, respectu piorum, malis verò res-
 pectu impiorum, Psal. 34. 91. Luc. 16. Ebr. 1. Ex nostra verò
 parte fides & incredulitas, quod dictis regulæ secundæ satis
 demonstratum est.

C 2

His

LXVIII. His quinto loco adiungantur testimonia sanctorum patrum, vt Iustini quæst. 75. post animæ à corpore excessum, statim fit bonorum & malorum distinctio: & Athanasij: Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala in igne æternum.

LXIX. Item: Hilarij, Excipit impios statim infernus ultor, & decedentes de corpore, si ita vixerunt, confestim de via recta pereunt. Testes nobis sunt Euangelij diues & pauper, quorum vnum angeli in sedibus beatorum, & in sinu Abrahæ locauerunt, alium statim pœnæ regio suscipit. Nihil hic dilationis aut moræ est, Psal. 2.

LXX. Cypriani contra Demetrianum: Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur. Item Epiphaniij: sicut post messem spicæ granum crassescere nequit, ita ἡ τε ποσειδὸς ἐυσθείας, ἢ τε μέλανος μετὰ θανάτου, aduersus Catharos.

LXXI. Hieronymi, Esaia 65. Ambrosij: mors malorum finis & principium bonorum. Gregorij Magni lib. 4. cap. 28. & 39. Qualis hinc quisq; egreditur, talis in iudicio æstimabitur. Item non suppetit defunctis apud inferos confessio & correctio. Conclufit enim Deus hic quidem vitam & actionem, illic autem factorum examinationem. Bernardi de fide, spe & caritate: O Deus quanta est distantia inter delicias paradisi & vermem rodentem inferni.

LXXII. Memorabilia in primis sunt insignia dicta Augustini, tractatu in Iohan. 49. Requies post mortem continuò datur, sermone 15. De sanctis Lib. lib. 9. confess. cap. 3. De Genesi ad literã lib. 8. cap. 5. Psal. 32. Misericordiæ tempus modo est, iudicij post erit. Epist. 99. ad Euodium & epistola 54. ad Macedonium: Morum corrigendorum nullus alius, quàm in hac vita, locus est. Istic quisq; habebit, quod sibi in hac vita comparauit. Serm. 66. de tempore: In hac vita tantùm pœnitentiæ patet libertas, post mortem nulla erit correctionis licentia, Serm. 18. de verbis Apostoli. Duæ habitationes sunt, vna in regno æterno, altera in igne æterno.

Et lib

Et lib. 21. de Ciuitat. Dei, cap. 25. Non est locus medius, LXXIII.
 vbi nō sit in supplicio, qui nō fuerit constitutus in regno, & c.
 Et lib. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 28: Non
 est vllus vlli locus medius, vt possit esse nisi cum diabolo, qui
 non fuerit cum Christo. Epistola 80. ad Hesichium: Qualis
 in die isto quisq; moritur, talis in die illo iudicabitur. Et lib.
 5. τῶν ὑπογλωσσικῶν contra Pelagianos: Tertium locum penitus
 ignoramus, immō non esse in scripturis reperimus. Et de
 prædestinatione sanctorum lib. 1. Cap. 12. Hoc medio tem-
 pore inter depositionem & receptionem corporis, secundū
 ea, quæ gesserunt, siue cruciabantur animæ, siue requiescent.

II. πρὸς Ἰουχραννυχίας.

VT in alijs huius argumenti quæstionibus explicandis, LXXIV,
 quandoq; aliquid humani passa est pia vetustas, victa
 rei difficultate & mentis caligine: Ita veterum nonnulli,
 proh dolor, plusquam par est tribuerunt suauī somno car-
 nali de dormitione animarum, quam illi intellexerunt de
 quiete animarum, post mortem sensu tam boni, quam mali
 destitutarum, seu vt planius dicam, tam æternæ beatitudinis,
 quam damnationis expertium, vsq; ad mundi consumma-
 tionem, seu vsq; ad vniuersalem mortuorum resurrectionem
 & loco quodam intermedio inter cælum & terram, eoq; in-
 uisibili tantisper delitescunt, vt videre est in Irenæo sub
 finem lib. 5. quemadmodum notauit in præfatione Erasmus,
 Origine lib. 3. περὶ ἀρχῶν. | Tertulliano contra Marcionem
 lib. 4. & de anima. Hieronymo Daniel. 3. & Ecclesiastæ 3. &
 Augustino in Psal. 85. Et de dogmatibus Ecclesiasticis cap.
 77. quem tamen errorem hi duo correxerunt, quietem illam
 vsq; ad aduentum Messie tantum restringendo. Et in Bern-
 hardo in festo omnium sanctorum.

Hunc crassum & crudum errorem de somno animarum LXXV.
 Epimenideo, seu de quiete ἀναδύτω, ἀέσγω καὶ ἀπερίλω prorsus,
 quem fanaticus spiritus quidam ex impia fece Anabaptista-
 rum

rum resuscitavit, & in Rutenorum Ecclesias reduxit (præter Iohannem 22. Pontificem Romanum, quem acerrimè refutavit schola parisiensis, teste Gersone in sermone Paschali.) perspicuè redarguunt, non tantum suprâ à nobis de sorte & conditione animarum collecta testimonia quam plurima, sed etiam dulcissima animarum corporibus exutarum carmina ἐπιῖκια, ὕμνοι καὶ δοξολογίαι, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, quibus ingentia Dei beneficia prædicant & celebrant, & pia vota ac preces assiduæ, quibus animæ martyrum & aliorum fidelium in cœlis, Deo Ecclesiam militantem in genere commendant, & perpetua cum Ecclesiâ triumphante colloquia post hanc vitam exercent, quorum illustria exempla descripta extant, Apocal. 4. 5. 6. 7. 16. & 19. interprete Epiphaniô in refutatione Antidicomarianitarum, de quibus tamen iudicio Augustini, nihil in specie, sine scripturæ testimonijs, asserendum est.

LXXVI. Cœperunt quoq; extrema ætate Origenis quidam in Arabia spargere venenatum errorem de animarum cum corporibus interitu. Verum Origenes eò profectus, conuocata non mediocri synodo, vesanum istum errorem repressit, & eiusdem autores ad sanio rem mentem reuocauit.

III. DE SPECTRIS.

LXXVII. SÆpè quoque in Ecclesia agitata fuit quæstio: An defunctorum animæ, circumacta huius vitæ periodo, hinc inde incertis sedibus in terris, præsertim ad sepulchra, reuera diuagentur & oberrent? aut magicis artibus ex suis sedibus euocata reuera responsa dent consulentibus, & alios sermones familiares cum uiuentibus conferant?

LXXVIII. D. Augustinus, sanè captum mentis suæ excedere fateatur, Quomodo animæ per se & sua natura id ipsum præstare queant, atq; idè ἐπέχει, in libello de cura pro mortuis gerenda, De spiritu & anima, Ad Dulcitium quæst. 6. & ad Simplicia-

plicianum lib. 2. quæst. 3. Et in regno Antichristi Romani talibus apparitionibus non minus, quam Moisi & Prophetis, multis seculis tributum fuit, teste Gregorio 4. dial. de Paschasijs anima in balneis conspecta, & Thoma, prima tertiæ, quæst. 69. art. 1.

Veruntamen nos cum Ecclesia Catholica negatiuam LXXIX. sententiam constanter tuemur, freti fundamentis scripturæ solidis & immotis, quæ modo à nobis accumulata sunt, De mansione animarum duplici, eaq; stabili & æterna & omnis permutationis aut excursionis experte, cuius sententiæ summam David paucis complectitur: Ille ad me non reuertetur 2. Sam. 12. Iobus, mortuus & sepultus non benedicetur amplius cap. 3. Et Siracides, A morte non est reditus cap. 38.

Quibus haud immerito adijciuntur non modo prohibi- LXXX. tiones diuinæ de oraculis à mortuis nequaquam petendis Leuit. 19. & 20. Deut. 18. 1. Sam. 28. de Samuele personato seu commentitio, Esa. 8. Luc. 16. sed etiam insignes sententiæ sanctorum patrum, vt Chrysofomi in Matthæi cap. 8. homilia 29. Item de Lazaro homil. 2. & 4. Augustin. de ciuit. Dei lib. 9. cap. 71. & in quæstionibus veteris & noui Testamenti & de vnitae Ecclesiæ cap. 16.

Quæ magno cōsensu testantur, spectra seu φάσματα istius- LXXXI. modi licet loquentia, nequaquã tamen defunctorum manes aut vmbra, sed delirantiũ somnia & mera diaboli τερεπίσματα, id est, ludibria, præstigias & imposturas esse, fabulæ de purgatorio speciei veri conciliandæ, & infinitarum aliarum superstitionum stabiliendarum causa, efficacia diaboli oculis hominum obijci solitas, annuum delirarum fabulis non dissimiles, immò vt cœlestis doctrinæ corruptelas & pestes præsentissimas, omnibus fugiendas & execrandas esse.

III. περί τῆς μετεμψυχώσεως
Pythagoricæ

Simi-

LXXXII. **S**imiliter à vero statu quasi animarum post hanc vitam longissimè aberrat eorum opinio, qui somniant eas prioribus depositis, subinde aliorum atq; aliorum hominum vel brutorum nascentium corpora induere, vt animam Eliæ corpus Baptistæ, & animam Baptistæ corpus Christi inuasisse, teste de Herode Matth. 14. 16. Ioh. 1. & Iosepho, quæ à Pythagoreis olim μετεμψύχωσις, μετεσώματωσις ἢ μεταγίνομος dicta fuit, Latine transanimatio, &c.

LXXXIII. Sic Iulianus Apostata animam Alexandri in se, alij Aiacis in leonem, Agamemnonis in aquilam, Iulij Cæsaris in stellam crinitam, teste Suetonio, Therisitæ in simiam migrasse olim, communiter verò fanatici isti, tyrannorum animas lupos & vultures, gulonum verò asinos & porcos involare nugati sunt, teste Laërtio in vita Pythagoræ, & Ouidio lib. 15. Metamorph, Virg. lib. 6. Æneid. Quod delirium Hieronymus & Origeni tribuit in Epistola ad Autum, Pammachium & contra Ruffinum.

LXXXIV. Hanc monstruosam opinionem, quæ ab Ægyptijs accepta fuit, teste Herodoto, falsè irridet Lucianus in dialogo Galli & Micylli, solideq; refutat Iustinus Philosophus & Martyr, in colloquio cum Tryphone Iudæo & Irenæus lib. 2. cap. 29. Et in Origine, Gnosticis, Platonis & alijs Græcis exagitat D, Hieronymus epistola 32. Epiphanius contra Marcionem, Nyssenus in libro de homine.

I I.

*De secundo genere nouissimorum
hominis.*

**DE RESVRRECTIONE COR-
poris, & de totius compositi, quod homo
dicitur, restitutione.**

Psal.

PSAL. LXVIII.

*Deus noster DEVS ad saluandum, & Domi-
nus DEVS noster educens ex morte.*

INter multa alia tria potissimum sunt, quæ huic articulo fidei Christianæ de resurrectione decus & ornamentum conciliant incomparabile, cum scripturæ sacræ, tum piæ vetustatis iudicio consentienti.

I. Vena vberissima & fons perennis ac nunquam ^{æru.} I. aquæ viuæ consolationis scilicet salutaris, victoris calamitatum huius vitæ, spectrorum mundi & terculamentorum mortis & diaboli omnium in hac vita. Vtenim indubitata fides resurrectionis & spes futuræ remunerationis cumulatiſsimæ in cœlis repositæ, animorum præsidium & munimentum in hac vita est firmissimum: Ita beatitudo sempiterna portus, in quo post multiplicium procellarum huius vitæ iactationem suauissimè requiescit ecclesia, est optatissimus.

II. Totius Christianismi prora & puppis, siue sapientia, siue pietas Christiana spectetur. Vtriusque enim comparandæ stimulus est acerrimus & calcar acutissimum & frenum, quo à peccatis retrahimur, validissimum, spes lætæ resurrectionis mortuorum firma & indubitata, teste Chrysoſtomo Matt. 22. & Epiphanio in Ancorato.

III. ^{γὰρ ἵστορα} Ecclesiæ ab omnibus impijs, & à Deo damnatis ^{IV.} sectis distinctæ, eò certius & illustrius, quo resurrectio mortuorum rationi & carni magis absurda & impossibilis est, & sapientia Ecclesiæ magis propria, magisque peculiaris est, extra & supra conspectum rationis humanæ longissimè posita, ideoque omnibus telis contradictionis exposita, teste Augustino Psal. 88. & de tempore sermone 143.

Tanti momenti cum hic sit articulus, primum omnium ^{V.} vt quæstio, an sit? quæ methodicæ tractationis auspiciū & fundamentum est, expediatur, articuli de resurrectione mor-

D

tuorum

tuorum veritas & certitudo demonstranda, & postea res ipsa cæteris capitibus methodi vsitata declaranda & explicanda est.

VI.
Classes decē
τῶν ὑποδεί-
ξεων articu-
li de Resur-
rectione.

Fundamenta firmissima & immota, & testimonia maximè ἀξιόπιστα minimeq; fallentia articuli de resurrectione mortuorum, quæ scriptura Prophetica & Apostolica suppeditat, quæ pijs pectoribus fidei & spei confirmandæ causa, tanquam sigilla, firmiter imprimenda sunt, in summa capita X. seu classes distinctas, distribui possunt commodissimè.

VII.
Primum ge-
nus argu-
mentorū
quo demō-
stratur arti-
culus re-
surrectionis.

In quorum ordine partes primas obtinet gloriosa resurrectione Christi, resurrectionis, immortalitatis, vitæ, glorificationis corporum nostrorum, consuetudinis cum Deo nostræ & beatitudinis æternæ non modo exemplum, nequam particulare, sed (quia Christus caput & totum est, nos vero membra & partes illius sumus) vniuersale, seu ὀλικόν, nec tantum primitiæ & exordium & quidem πρῶτον ἀρχαίον, 1. ἔργον admodum πηλαυγές, vt Pindari verbis vtamur, nec pignus tantum, aut testimonium certissimum fideq; dignissimū futurae cōmunis resurrectionis mortuorū, sed etiā causa efficiens totalis & in actu posita, ad effectum producendum, tam merito, quàm efficacia diuinæ potentie sola abundè sufficiens, fons, fundamentum ac basis, seu petra omnibus portis inferorum inuicta & inexpugnabilis.

III. Christus enim ἀναμάρτητος, atq; ideo nec morti nec potestati inferorum obnoxius, non modo peccatum expiauit, (Daniel. 9.) nec mortem tantum in se ipso euacuauit & aboleuit, (2. Timoth. 1.) sed etiam eius, qui mortis habebat imperium in omnes (Ebr. 2.) caput contriuit (1. Cor. 3.) & opera destruxit, (1. Ioh. 3.) & inferno expugnato captiuam duxit captiuitatē (Eph. 4. Pl. 68.) a deoq; expoliatos principatus ac potestates ostentauit palam, triumphans de illis per semetipsum, (Coloss. 2.) Et hunc triumphum nobis vt membris communicat, vt & nos aliquando triumphum æternum de peccato, morte & inferno acturi simus, dicentes: Absorpta est mors in victoriam, vbi tuus ô mors aculeus, vbi tua ô inferne victoria?
Huius

Huius materiæ sedes propria est caput, 1. ad Corin. 15. IX. ubi Apostolus hanc consequentię indissolubilis rationem ipse monstrat, cum alijs, tum argumento ducto à collatione contrariarum causarum & contrariorum effectuum Adæ primi & secundi & mortis ac vitæ, quam illustrat primitiarum, reliquas fruges sanctificantium, similitudine admodum luculenta vt & Rom. 5. & 8. 2. Tim. 1. 1. Theff. 4. 1. Pet. 1. Nunc autem quia Christus surrexit à mortuis, ἀπαρχὴ τῶν κοιμημένων ἐγένετο. Postquam autem per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorū. Vt enim in Adamo omnes moriuntur: ita in Christo omnes vivificabuntur, meriti scilicet exuberantis respectu, non actu. Vnde resurrectio Christi clavis sepulchrorum nostrorum à Tertulliano nō immerito appellatur. Eodem articulo demonstrando idem Apostolus à ibi quoq; sæpissimè occupatus est, præsertim Acto- rū 10. 17. 23. & 24. Phil. 3. 1. Theff. 4. Eb. 11. & Ioh. Apocal. 20.

Argumento à causa efficiente ducto vicinæ sunt colle- X. ctiones, quæ à natura relatiuorum peti solent, quorum tam arcta est connexio, vt vnum sine altero nec esse nec intelligi possit, cuius generis sunt caput & corpus (Rom. 8 Eph. 1. 4. & 5. Coll. 1.) Sponsus & Sponsa (Psal. 45. Osee 2.) Rex & regnum (Psal. 2. 27. Es. 9. Zach. 9. Luc. 1.) Sacerdos & Ecclesia Psal. 110. Ne enim hæ æternæ & indissolubiles copulationes Christi & Ecclesiæ sint tantum inania nomina, necesse est Ecclesiam ex morte reuiuiscere quoque, vt copulata cum suo capite, Sponso, Rege & Sacerdote, vitæ æternæ societate perfruatur.

Ex hoc fonte promanat demonstratio resurrectionis Apo- XI. stolica, extructa ex testimonijs de maiestate & æternitate regni Christi & de eiusdē consummatione & complemento ex Psal. 110. & 8. Oportet ipsum regnare donec posuerit, & c. 1. Cor. 15. Quasi dicat Christus non solus resuscitatus est, sed & nos resuscitamur. Ratio copulati est, quia Christus resuscitatus est, non vt in assumpta natura solus frueretur gloria regni æterni, sed vt multos fratres morte tandē plenè abolita, per resurrectionē in eiusdē regni gloriosi societatem assumeret

D a

Rom.

Rom. 15. 1. Corith. 3. Omnia sunt vestra, &c. Luc. 12. Placitum est patri tibi dare regnum, &c.

XII. Secundus locus inter munimenta & præsidia huius articuli haud immeritò tribuitur cœlestibus oraculis Christi: I I. Genus argumentorum. Veniet hora, &c. Iohan. 5. Hæc est voluntas, &c. & ego resuscitabo eum, &c. Iohan. 6. Ego sum resurrectio & vita. Iohan. 11. Ego vivo & vos viuetis Iohann. 14. Vnà cum inuectiuis Christi in Sadducæos resurrectionis abnegatores Matt. 22. Luc. 20. Marc. 12. Quibus non animæ Patriarcharum immortalitatem aut resuscitationem corporum tantum, alijs ex catalogo viuorum exclusis, sed communem spem resurrectionis omnium astrui, testantur verba vniuersalia: πάντες ὄντες αὐτῷ ζῶσιν Matth. 22.

XIII. Genus argumentorum. Tertiò non solum doctrina de resurrectione in prædicatione noui Testamenti sine vllis inuolucris tradita est, sed etiam res præclare incoata & specimen illius editum commemorabile in resurrectione, cum sanctorum patrum & prophetarum, qui venerunt in ciuitatem sanctam & apparuerunt multis, tum ipsius Christi, eiusdemq; cum discipulis conuersatione familiari, & velut schola aperta, post resurrectionem vsq; ad ascensionem, spacio dierum XL. in qua initia immortalitatis, lucis, sapientiæ, iustitiæ, vitæ & beatitudinis Apostolis & reliquo cœtui palam ob oculos posita fuerunt illustria, maximopere celebrata non modò ab Evangelistis, sed etiam ab Eusebio lib. 4. ἀποδείξ. εὐαγγ. cap. 12. & ab Epiphanio in refutatione Tatianorum.

XIV. Genus argumentorum. Quartum locum inter huius articuli fundamenta sibi iure vendicat suavis & vnanimis consensus sanctorum prophetarum & patrum, adeoq; totius Ecclesiæ veteris Testamenti, de hoc ipso summo articulo, ante filij Dei in carnem aduentum, declaratus in locis Theologicis oraculis Spiritus sancti numero XVIII. maximè memorabilibus, quæ omnia ex prima promissione seu πρώτου εὐαγγελίου, ceu ex sacro angustiq; fonte & eiusdem repetitione (Genes. 22. 26. & 28.) hausta & deducta sunt, cuiusmodi sunt, quæ extant Esaiæ 26. Esa.

66. 65. 25. 24. 35. 9. Daniel 12. Oseæ 13. 1. Corin. 15. Ezech. 37. 18. Psalm. 16. 22. 33. 116. 49. Iob. 19.

Etsi autem horum dictorum nonnulla, præsertim Eze^{XV.} chielis, Danielis, Oseæ, &c. Porphyrius & similes fanatici spiritus & Empæctæ, ab vniuersali corporū resurrectione ad captiuitatem Babylonicam & eius solutionem per Cyrum factam, miris artibus detorquere ausi fuerunt, teste Hieronymo: Certum est tamen oracula illa non nisi in vniuersali resurrectione mortuorum complementum suum habitura.

1. Id quod constat ex collatione tam calamitatum captiuitatis Babylonicæ, licet acerbissimarum, quam liberationis & restitutionis gentis Iudaicæ gloriosæ cum emphasi & pondere verborum & phrasum, quæ in illis ipsis concionibus à Spiritu sancto fuerunt vsurpatæ, quibus nihil nisi æterna & spiritualis mors & vita satisfacere & respondere potest.

2. Ex interpretatione noui Testamenti certissima.

3. Ex expositione saniorum Rabinorum ante Christum natum, collecta à Petro Galatino in libris de arcanis Catholicæ veritatis.

4. Ex vnanimi sanctorum patrum & orthodoxorum doctorum Ecclesiæ noui Testamenti consensu, vt Iustini, Tertulliani, Cypriani, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, &c.

Quanquam etiam fateri oportet, orthodoxæ interpretationi verborum Iob 1 c. 19. difficultatem non leuem obijci verborū quorundā obscuritate & ambiguitate, vnde suspicio pijs orta, eorundem verborum perfidia hostium resurrectionis olim horribiliter mutilatorum & deprauatorum: Negari tamen non potest, fontibus probè inspectis & consideratis Catholicam Ecclesiæ expositionem præsidij inuictis probè muniri, nulloq; negotio defendi posse, & pijs singula verba singula pondera esse.

Primo enim, etsi in Ebræo est futurum tertiæ personæ Resurget () Messias scilicet: nihil tamen prorsus decedit testimonio de resurrectione carnis nostræ, siquidem

D 3 Christus

Christus non sibi, sed nobis surrexit, quod supra demonstra-
tum est, ex sententia Apostoli, & oblatione carnis suæ in ara
crucis, non animam tantum, sed carnem etiam nostram
redemit, & morte sua mortem in victoria absorpsit.

XIX. Idem testatur ἐμφασις participij Hoël, quod eò certius
nobis filium Dei incarnatum & fratrem nostrum exprimit,
quò magis extra omnem controuersiam positum est, in lin-
gua sancta, hoc ipso vindicem sanguinis & bonorum ob-
eratorum liberatorem designari, non qualemcunque, com-
munem aut peregrinum, sed propinquum seu consangui-
neum vel sanguine iunctum, vt videre est Numer. 35. &
Leuit. 25. Quibus suffragatur expositio veterum Rabi-
norum, citata à Petro Galatino libro 3. capite 27. & 28.

XX. Est igitur sententia: Scio quod Redemptor meus vi-
uat, id est, quod Filius Dei, in assumpta natura humana futu-
rus propinquus & consanguineus meus, in æternum viuat &
vitæ fons sit, omnia viuificans, & quanquam moriturus sit,
tamen in morte nequaquam mansurus, sed tertio die de
morte resurrecturus & futurus sit Redemptor nouissimus
(Acharon) id est, extremus & perfectus, vltra quem nullus
alius expectari debeat, vt qui non modo initio vltimæ ætatis
in mundum veniat (nouissima hora est 1. Iohannis 2.) sed
etiam qui nos venundatos sub peccatum & Satanæ manci-
pato, sanguine suo plenè redimat, & per resurrectionem
suam in libertatem filiorum Dei perfectam asserat, Ge-
nes. 48. Esaiæ 41. 44. 49. 59. 63. Psal. 31. 130. Oseæ 13.

XXI. II. Futurum Ikkephu (קקפ) deductum est vel à radice
קקפ id est, perforauit seu arrosit, vt aliqui de cutis per-
vermes arrosione probabiliter & plausibiliter interpretan-
tur, quia fit cadauer hominis esca vermium, serpentum deli-
ciæ & vas fœtidum, vel à verbo קקפ quod cingendi seu cir-
cumdandi significationem habet, & ipsum quoque more
defe-

defectiuorum Pe Nun flebitur, Quasi dicat Iobus : Circumdabuntur cute, seu pelle, scilicet ossa seu membra mea, vt vulgata versio habet, perinde atque Ezechiel vaticinatur de carne & ossibus pelle cingendis. Vnde Epicedio Christianorum, ab Ecclesia ex his verbis Iobi composito, ac exequijs mortuorum consecrato, hæc quoque verba inserta fuerunt : Et renouabuntur denuo ossa mea, maioris *πληροφοίας* fidei testificandæ causa.

III. Etsi in Ebræo est *בשרי* id est, de carne mea **XXII.** & non, in carne mea, vt referendum sit ad filium DEI incarnatum, secundum interpretationem Rabinorum libro 3. Galatini capit. 1. & 29. sequentia, tamen maximè futuræ *τῆς αὐτοψίας* Messia *πληροφοία*, fidem resurrectionis etiam nostræ carnis satis perspicuè confirmant : Quem visurus sum ego mihi, id est, in rem & commodum meum, seu pro me ipso & oculi mei conspecturi sunt, & non alius, non quidem conditionum seu qualitatum respectu, quæ mutabuntur, sed substantiæ seu naturæ, quæ eadem mansura est, interprete Tertulliano de carnis resurrectione.

IV. Licet in verbis Græcæ & Latine versionis non **XXIII.** leuis sit quoque discrepantia : idem tamen sensus, quem habet Latina translatio, à Græcis quoque interpretibus redditus est : *οἶδα γὰρ ἐγὼ, ὅτι ἀέννα ἔστιν ὁ ἐκλύψιν μὲ μέλλον. ἐπὶ γῆς ἀναστήσεται τὸ δέσμα μου, τὰ ἀναντλήν ταῦτα. παρὰ γὰρ κυρίου ταῦτα μοι συνετέλεσθη, ἃ ἐγὼ ἐμαυτῷ συνεπίσαμαι, ἃ ὁ ὀφθαλμὸς εἶδεν καὶ ἐν ἄλλῳ, πάντα δὲ μοι συνετέλεσται ἐν κόλπῳ.* Quod Latine sic redditum est : Hæc spes reposita est in sinu meo. Et à Chaldæo paraphraste : Ego scio, quia Redemptor meus viuit, posthæc redemptio eius consurget super me, & postquam inflata fuerit pellis mea, erit hoc : De carne mea videbo iterum **D & V M.** Quem ego visurus sum mihi & oculi mei videbunt & non alius.

Vnde

XXIV. Vnde D. Hieronymus non immeritò hoc dictum Iobì præclaro præconio ornatur, Nullus, inquiens, tam apertè post Christum, quam Iobus ante Christum, de resurrectione loquitur, ad Pammachiũ. Quo respectu Iobus ipse tam magnificè præfatur: Optans verba sua conscribi in libro, vel sculpi in silice aut plumbo, stilo ferreo, in perpetuã rei memoriam, significans, se de restitutione corporis non ad hanc vitã, sed ad æternam differere, maximè *ἀξιωματικόν τε καὶ ἀξιολόγον*.

Quò pertinet quod idem cap. 13. ait: Quod si occiderit me Dominus, annon sperabo in eum? aduerbio negandi *ἆ* pro interrogandi *ἆ* posito, vt, vt tibi, qui spoliast, nonne spoliaberis? Esaiã 33.

XX. V. Gradus testimoniorum resurrectionis. Ad quintam classem documentorum seu *τῶν τεκμηρίων* resurrectionis vniuersalis referri possunt exempla illustria restitutionis & glorificationis naturæ humanæ, partim in ijs proposita, qui ex terrena in cœlestem vitam translati sunt, in tribus mundi ætatibus, vt Enochi, Genes. 5. Ebr. 11. in prima: in media Eliã 4. Reg. 2. & vltima Christi Matt. 28. (quos Tertullianus candidatos futuræ immortalitatis vocat) partim lucentia in mortuorum resuscitatione, vt filij viduæ Sareptanæ, Sunamitidis, &c. in veteri, filij Naïnitidis, filia Iairi & Lazari in nouo Testamẽto, &c. de quibus Augustinus: Præterita futurorum fidem confirmant.

XXVI. VI. Gradus testimoniorum resurrectionis. Sextum locum meritò tribuimus communi & constanti fidei & confessioni resurrectionis vniuersalis futuræ in gente Iudaica, editæ à septem martyrum matre 2. Maccab. 7. à Martha Iohan. 11. & à Phariseis, eandem contra Sadducæos acerrimè tutatis, Actor. 23. Denique in Indæis, licet in multis alijs Christo audacter satis aduersatis, resurrectionem mortuorum tamen asserenti nunquam obstrepere ausis, teste historia Euangelica.

XXVII. VII. Genus. Septimò, optima consequentiã extruitur hic articulus ex articulo creationis hominis ad imaginem & similitudinem Dei (Genes. 1.) quæ non modo animæ cum archetypo conformitatem sine carentem, sed etiam tam corporis, quã animæ

animæ, adeoq; totius compositi æternam cum Deo consuetudinem & summorum in Deo bonorum *κοινωνίαν* perfectam complectitur, ad quam *ἐξοχή* illa insignis naturæ humanæ, tanquam ad finem vltimum, quem homo in huius vitæ fugacitate & miserijs, nunquam assequi potest, directæ est.

VIII. Ex societate animæ & corporis in rectè & malefactis huius vitæ, cuius præmiorum pœnarumq; seu beatitudinis & suppliciorum *κοινωνία* æterna comes est individua, optimo iure, teste Apostolo, vt recipiat quiq; secundum ea, quæ per corpus gessit, 2. Cor. 5. XXVIII. 8. Genus argumentorum.

IX. Ex sanctificatione non solum animæ, sed corporis etiam piorum in hac vita, incoata per baptismum in omni æternitate necessariò consummanda, teste Apostolo Rom. 8. Si Spiritus eius, &c. habitat in vobis, idem viuificabit etiam mortalia corpora vestra propter spiritum eius habitantem in vobis. Item 1. Cor. 6. 2. Cor. 6. id quod fateri cogitur quoq; Calvinus in epist. ad Farelum. XXIX. 9. Genus

Vltimum ex incorruptibili immortali, & viuifico viatico corporum nostrorum in hac vita, quod est corpus & sanguis Christi, quod in, sub & cum pane & vino, pro ratione mysterij, ore corporis manducatur & bibitur, in Sacramento cœnæ Dominicæ. (verbo seu verborum institutionis recitatione & elemento tanquam partibus substantialibus constante) hoc fine, vt corpore & anima nostra, mediante fide corpori & sanguini Christi vino & viuifico infertis & vnitis, non modò anima immortalitatem, sed corpus etiam certam spem resurrectionis ad vitam æternam inde concipiat, sicut corpus non minus, quàm anima traditione corporis & sanguinis Christi in mortem, à morte vindicatum est. XXX. 10. Genus

Huius vltimi generis *ἀποδείξων* resurrectionis autor inter scriptores Ecclesiasticos vel certè illustrator primus fuit Irenæus contra Valentinianos, carnis resurrectionem & salutem negantes: Quemadmodum qui est terra panis, percipiēs vocationem Dei, iam non est communis panis, sed Eucharistia duabus rebus constans terrena & cœlesti. Sic & corpora XXXI.

E

nostra

nostra Eucharistiam percipientia, iam non sunt corruptibilia, sed spem resurrectionis habentia, lib. 4. cap. 34. Item: Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ corpore & sanguine Christi nutritur & pascitur & membrum eius est, lib. 5. pag. 295. 296.

Hunc secutus est Tertullianus de resurrectione carnis, XXXII, Cyrillus in Ioannem lib. 3. c. 27. & 28. & lib. 4. c. 13. 14. 15. 16. & 17. (vnde corpus & sanguis Christi nominatur resurrectionis nostræ symbola in canone Niceno) His omnibus fuit Iustinus quoque Philosophus & Martyr in Apologia ad Antoninum Imperatorem secunda.

XXXIII. Fundamento iacto, quod est solida immotæ veritatis & certitudinis huius articuli demonstratio, ut beneficii resurrectionis magnitudo & amplitudo conspiciatur illustrius, assurgat altius, animis nostris infigatur firmitus & ad necessarios consolationis usus quouis tempore sese nobis offerat promptius, ceteræ quoque quæstiones tractationis methodicæ ordine nobis explicandæ sunt.

XXXIV. *Resurrectio ceteris quæstionibus methodi simplicis pertractata.*

Resurrectio duplex. **Q**uemadmodum autem partes hominis duæ sunt, animus & corpus: ita resurrectio eiusdem duplex in scriptura proponitur, teste Augustino de Trinitate, lib. 4. cap. 3.

XXXV. I. Animæ seu spiritus, quæ resurrectio prima dicitur (Apocal. 2. & 20.) quæ nihil est aliud, quàm animæ cū Deo copulatio, noua in hac vita, quæ in scriptura nominatur Regeneratio & complectitur iustificationem & renouationem, quæ rursus constat mortificatione & viuificatione, secundum Apostolum Rom. 6. Ephes. 2. Col. 2. In Christo resurrexistis per fidem efficaciam Dei, qui mortuos in peccato viuificauit nos una cum Christo, condonans nobis omnia delicta. Et Ephes.

Ephes. 5. Exergiscere qui dormis & surge à mortuis & illuſceſcit tibi Chriſtus. Et hæc ſpecies reſurrectionis animæ pijs propria, cum reſurrectione carnis pijs & impijs communi, nequaquam cum Hymenæo aut Phileto confundenda (2. Timoth. 2.) ſed conſpicuis limitibus ab illa ſe-iungenda eſt.

II. Corporis ſeu carnis ſeu corporalis, quæ nominatur reſurrectio ſecunda, (Apocal. 2. & 20.) & Regeneratio (Matth. 19.) interprete Auguſtino de ciuit. Dei lib. 20. cap. 6. Sicut duæ ſunt regenerationes, vna ſecundum fidem, &c. Eſi autem anima quoq; tam mori, quàm reſurgere dicitur quodammo- do: propria tamen locutione vtraq; tantum corpori rectiſſimè tribuitur. Et hæc rursus duplex eſt: 1. Singu- laris ſeu particularis, cuius exempla modo ſunt propoſi- ta. 2. Generalis ſeu vniuerſalis.

Eſt autem reſurrectio vniuerſalis, actio Dei externa, qua Deus pro immenſa bonitate ſua & iuxta liberrimum decretum voluntatis ſuæ, in ſeculi conſummatione non modo omnium hominum corpora ab interitu vindicata, in in- tegrum reſtituet, infirmitate & deformitate omni ſublata, eadem ad ſimilitudinem glorioſi corporis CHRISTI transformando, ſed etiam animarum cum corporibus in ea- dem indiuidua ſubſtantia copulationem arctiſſimam itera- bit, eamque indiffolubilem, vt totus homo in omnem æter- nitatem, aut incredulitatis & cæterorum peccatorum pœnas perſoluat cum diabolis, aut cum ipſo communicatione lu- cis, ſapientiæ, iuſtitie & vitæ æternæ perfruatur, Dan. 12. Iohan. 5. 1. Corinth. 15. 1. Theſſ. 4. Coloff. 3. Philip. 3.

Atque hæc rursus gemina erit, ratione finis diſſimi- lis. 1. Salutaris credentium. 2. Exitialis incredulorum Dan. 12. & Iohan. 5.

Definitio reſurrectionis vniuerſalis ex genere & cauſis conflata eſt.

Generis locum obtinet externa Dei actio.

E 2

Efficien-

XXXVI.

XXXVII.
Definitio
reſurrectio-
nis.

XXXVIII.

XXXIX.

XL.

Genus.

XLII. **Causa efficiens.** Efficientis causæ rationem habet tota sacro sancta Trinitas, æternus Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus. Sicut enim Pater resuscitat mortuos & viuificat, ita & Filius quos vult viuificat & quidem non tantum potentia diuina, vt verè & natura *Dei*, sed etiam vt mediator in natura assumpta: Et Spiritus sanctus, Rom. 8. & Psal. 103. Quatenus scilicet communis est operatio, quam extra suam essentiam Trinitas perficit, secundum regulam Augustini ex scriptura extractam tractatu in Ioh. 110.

XLIII. **Causa efficiens immediata.** Etsi autè tota Trinitas opera communi resuscitationem mortuorum perficit: immediatè tamen vtitur ad eam opera Christi, vt dicitur: Ego resuscitabo eum &c. Ioh. 6. Ego sum resurrectio & vita, &c. Ioh. 10. 1. Cor. 15. 2. Cor. 4. 1. Thef. 4. & ab Augustino. Plus est creare, quam resuscitare homines, & Christus facit vtrumq; tractatu in Iohannem 49. Et hæc viuificatio communis est naturæ assumptæ cum assumente in persona Christi, non tantum merito seu ratione *τὸν λόγον*, sed & efficacia propria diuinæ maiestatis & potentie realiter illi communicatæ Ioh. 5. & 1. Cor. 15. Id quod perfidè negatur non sine magna contumelia Christi, à Cinglianis & Calvinianis, vt à Danao contra Chemnitium pag. 118. & à Beza colloq. Mompelgart. pag. 335.

XLIV. **Instrumentalis.** Causæ impulsivæ respondet decretum Dei æternum de resurrectione Actor. 10. 39. 17.

XLV. **Subiectum seu materia circa quam.** Ad instrumenti similitudinem accedit vox Christi, quæ in vitam reuocabuntur mortui (Ioh. 5.) quæ pro diuersitate effectus, diuersis etiam notatur nominibus. 1. Thef. 4. & Matth. 25. vt ostenditur Thef. 49.

XLVI. **Circumstantiæ duæ subiecti.** Subiecti seu materiae titulus non incommodè tribuitur corporibus hominum tam impiorum, quam piorum morte prius extinctis, sed animæ iterata copulatione resuscitandis.

Et in hac materia duæ circumstantiæ sunt præcipuè notandæ. I. Resuscitatio omnis carnis, sine exceptione Matth. 25, 2. Cor. 5. Quæ circumstantia opponenda est delirio Origenico.

Origenico de particularitate resurrectionis, teste Hieronymo ad Auitum & ad Pammachium. Item contra Ruffinum, & Augustino præsertim ad Laurentium in enchiridio cap. 84. Item Epiphanio lib. 2. Tom. 1. hæresi 63. II. Ταυτότης corporum mortuorum & resuscitandorum non tantum quò ad speciem, sed etiam quò ad singula individua, teste Iobo & Apostolo: Quod seminabitur idem & vivificabitur. Quò pertinet illud psalmistæ: Vnum ex his non conteretur Psal. 34. & vetus pronunciatio articuli symboli *δικτική*: Credo resurrectionem huius carnis.

Forma tria complectitur: I. Restitutionem desideratissimam, quasi postliminij iure, vnionis animæ & corporis, seu materiæ & formæ, & integritatis seu perfectionis vtriusque, seu perfectam totius hominis regenerationem. II. Ordinem & modum resurrectionis. III. Dona corporum glorificatorum, quæ vel *χίματα* vel *ιδιώματα* cœlestia appellari solent. De quibus Christus: Erunt *ὡς ἄγγελοι* Matth. 22. *ἰσάγγελοι* Lucæ 20. Apostolus *μεταρρηματίσει* Phil. 3. Iohannes: Similes ei erimus. 1. Ioh. 3. *κατὰ τὸ ποιοῦν ἔ κατὰ τὸ ποσὺν* Theodoret. dial. 2.

XLVII.
Ad formam tria pertinent.

I. Non enim indissolubilis vnio animæ & corporis tantum instaurabitur, sed ipsum corpus etiam nostrum humile, ab omni deformitate vitiorum & næuorum vindicatum & ad pristinam integritatem & perfectionem reductum, vt omnia sint *εὐθυμία* & *ἐναρμόσι* & quidem magis quam ante lapsum in protoplastis, secundum Augustinum ad similitudinem gloriosæ corporis Christi accedet quam proximè Philip. 3. 1. Ioh. 3. vt sicut gestauimus imaginem terreni hominis: Ita imaginem cœlestis quoque gestemus, 1. Cor. 15.

XLVIII.

II. Ordo & modus resuscitationis constat duabus partibus. 1. Mortuorum ad vitam reuocatione Dan. 12. Ioh. 5. 2. Viuorum subita immutatione tam piorū, quàm impiorū, sine temporis intervallo, *ἐν ἀτόμῳ* seu *ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ*, que mortis & resurrectionis instar illis futura est, interprete Ambrosio 1. Corinth. 15. & 1. Thess. 4. vbi simul mentio fit duarum

XLIX.

ἐν ῥιπῇ & *ἐν ἀτόμῳ* circum-

circumstantiarum. 1. κελύσματι^o militariae Archangeli. 2. clangoris tubæ, perinde vt & Matth. 24.

L. III. Gradus gloriae caelestis, qua ornabuntur corpora piorum quatuor, velut formæ corporum resuscitatorum accidentaria (quales in corpus cadere sanè possunt) ab Apostolo distinguuntur, 1. Corinth. 15. adhibita partim distinctione corporum mundi, quorum alia sunt caelestia, alia terrestria, partim similitudine splendoris seu claritatis lucis stellarum seu corporum caelestium.

LII. 1. Quorum primus appellatur immortalitas seu ἀφθαρσία, opposita corruptioni & mortalitati huius vitæ.

LII. 2. Gloria seu claritas loco ignominiae & deformitatis huius vitæ, ad similitudinem accessura splendoris Solis, Dan. 12. Mat. 13. 19. Rom. 8. Iusti vt scintillæ in stipulis discurrentes, &c. sapien. 3.

LIII. 3. Potentia successura infirmitati naturæ humanæ in hac vitæ, instar Angelorum virtute potentum Psal. 103.

LIV. 4. Vita spiritalis & caelestis, salua substantia corporis, ita vt corpus non amplius moueatur & regatur ab anima, sed vtrumq; simul gubernetur à Spiritu sancto.

LIV. Veteres easdem dotes absq; vlla dubitatione complexi sunt quatuor attributis glorificatorum corporum, vt impassibilitate, claritate, subtilitate & agilitate, quorum meminit Magister sententiarum lib. 4. distinct. 44.

LVI. De quibus digna memoria sunt insignes sanctorum Patrum aphorismi, vt Cypriani de resurrectione Christi: Caro erit sine pondere & mole agilis & mobilis, nullis clausa obstaculis, visu & auditu penetrans omnia, & vbi cunq; voluerit esse, sine impedimento discurrens.

LXVII. Augustini de tempore, serm. 139. Caro resurget sine onere & pondere, & serm. 148. Dabit Deus miram facilitatē & mirā leuitatem, serm. 149. Credere debemus, talia corpora nos habituros, vt vbi velimus, quando voluerimus, ibi futuri simus. De ciuit. Dei. lib. 13. c. 22. spiritualia erunt corpora, non quia corpora esse desistēt, sed quia spiritu viuificante subsistent. Et lib. 22, c. 30, vbi volet spiritus, ibi protinus erit corpus

corpus. De mirabilibus scripturæ lib. 3. c. 8. Resurrectionis, corpora in tantum leuigabuntur, vt non crassa aqua tantum, sed etiam nubibus & aëre sustineantur. De cognitione veræ vitæ cap. 45. & 46. silescat totum quicquid præter Deum est, ipse post hanc vitam erit locus noster.

At impiorum corpora immortalitatem tantum cum corporibus piorum communam sunt habitata, pro reliquis contrariis morbis laboratura, pro luce tenebris Cimmerijs tristioribus, pro robore infirmitate extrema, & pro gubernatione Spiritus sancti tyrannide Satanae, &c. LVIII.

Etsi autem nequaquam speculationibus & curiositati huius mane de quantitate corporum beatorum freni temere laxandi sunt, sicuti recte monet Augustinus: Non ideo nostram de resurrectione fidem inanem esse, si modum, quo illa futura sit, comprehendere nequeamus, De ciuit. Dei lib. 20. c. 2. Quia tamen pia vetustas non plane destituta erudita ratiocinatione, ex scriptura petita, de quaestionibus aliquot cognatis, ad formam seu qualitatem seu conditionem corporum resuscitandorum pertinentibus, non plane curiosis nec futilibus videlicet de LIX.
Quaestiones tres ad formam pertinentes resurrectionis.
 1. aetate corporum resuscitandorum. 2. de sexu. 3. de monstris & abortiuis foetibus, quid sentiendum sit, nequaquam dissimulauit, visum est eiusdem de his sententiam prioribus paucis attexere.

I. QVÆSTIO.

De aetate corporum resuscitandorum.

Iustinus Philosophus & martyr, sua quæque, quam prius habuit, statura proditurum esse asserit quaest. 13. & 60. Fuerunt qui statuerent, corpora omnia pari statura corporis futura, freti verbis Apostoli: Donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionem Filij Dei, in virum perfectum & mensuram ætatis plenè adultæ, Christi Ephes. 4. vt Hieronymus in Epistaphio Paulæ, & alij. Sed quia videt Augustinus Apostolum non de restitutione corporum, sed de animarum regeneratione & perfectione interioris hominis loqui, ideo correctione seu restrictione adhibita: Non dicit Apostolus, inquit, omnes eandem staturam

Prima quaestio. LX.

Quaestio
 LXI.

staturam corporis, sed mensuram iustæ & perfectæ ætatis obtenturos, cum Christo parem, videlicet annorum triginta & circiter, vel ἐν ἀκμῇ, salua statura corporis, quam vel habuit in iuuentute, et amsi senex obierit vel fuerat habiturus, si ante senectam fuit defunctus. De ciuit. Da 1 lib. 22. c. 15.

LXII. *Quæstio* Id quod veritati valdè facit consentaneum consideratio creationis. Cum enim Da 1 non crearetur initio vel infantes, vel pueros, vel decrepitos, vel vlla ratione imperfectos & deformes, sed virum perfectum & ἀνάσσεις sit δευτέρον quædam Ἐπιπέλοτος, secundum Damascenum lib. 4. c. 24. aut ἀνάπλασις, id est, noua creatio & reformatio, interpretibus valdè verisimile est, ætate perfecta corpora resurrectura esse pariter omnia. Quos sequitur magister sententiarum quoque lib. 4. dist. 44. cum commentatoribus scholasticis.

II. QVÆSTIO.

*Quæstio
secunda.*

LXIII.

Sit ne discrimen sexus in resurrectione saluum futurum?

Hic affirmatiuam amplectitur D. Hieronymus Matth. 22. & de erroribus Iohannis Hierosolymitani & Augustinus lib. 22. de ciuit. Da 1 cap. 17. & de dogmatibus Ecclesiasticis c. 77. 1. Quia singuli cum suis corporibus sint resurrecturi. 2. Quia non ipsa natura indiuidui, nec perfectio aut integritas specierum, sed vitium tantum naturæ abolebitur.

III. QVÆSTIO.

*Quæstio
tertia.*

LXIV.

Verum monstra & abortiuu fetus sint resurrecturi?

DE hac quæstione affirmatiuam quoque tuetur Augustinus de ciuit. Da 1 lib. 22. cap. 13. & quidem hac ratione addita

addita; Quod ἐν τρώματι in mortuorum sint numero, in enchiridio cap. 85. 86. & 87. subinde tamen repetens correctionem, eadem resurrectione defectibus, infirmitatibus & deformatibus omnibus sublatis 1. Cor. 15. Lombard. lib. 4. dist. 44. ex enchiridio Augustini, cap. 87. ad Laurentium.

LXV.

Veruntamen de his omnibus retinendum firmiter illud Augustini: Quomodo futurum sit id, quod nunc ratiunculae nostrae viribus utcumque conijcimus, tunc potius erit, ut nosse possimus, De Ciuit. Dei lib. 20. cap. 26.

Finis vel electorum concernit spiritualem vitam, gaudium & gloriam caelestem Matt. 25. Lucae 21. Ioh. 5. vel reproborum iudicium, confusionem & damnationem aeternam, Dan. 12. Matt. 25. Ioh. 5. ut integro homine restituto, animus cum corpore vel beatitudine fruatur communi, vel penas luat pares in omni aeternitate.

LXVI.
Finis resurrectionis.

Προσκειμένα resurrectionis vniuersalis erunt praecipua VII.
I. Totius mundi caeli, & terrae renouatio, de qua mox dicetur
II. Cessatio vicissitudinis motuum generationis, corruptionis, augmentationis, alterationis & similibus, in genere humano & tota rerum natura, secundum dicta: Non esurient neque sitient amplius. Apocal. 7. Non ducent neque nubent Matt. 22. Deus tam ventrem, quam escas abolebit 1. Cor. 6.
III. Liberatio creaturarum a vanitate & corruptione, id est, ab horribili abusu hominum, Rom. 8. IV. Abrogatio ministerij Ecclesiastici, teste Ieremia 31. citante Epist. Ebr. 8. Non docebit amplius vir proximum, &c. V. Abrogatio omnis principatus & omnis potestatis, seu omnium imperiorum mundi & potentiae diabolorum, 1. cor. 15. VI. Integra peccati & mortis abolitio & aeterna omnium Christi beneficiorum consummatio, qui erit omnia in omnibus 1. Cor. 15. VII. Infinita compensatio, laborum & ærumnarum militantis Ecclesiae, iuxta dicta: Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis piorum Esa. 25. Apoc. 7. Momentanea leuitas afflictionum pariter aeternum pondus gloriae, 2. Cor. 4. & Rom, 8.

LXVII.
Adiacentia
seu adiuncta
resurrectionis
septem

F

Postremo

- LXVIII.** Pagnantia cum articulo de resurrectione. Postremò circa hunc locum à veritatis tramite potissimū deflectitur, à quadruplici factionū genere. I. A Sadducæis & horum fratribus omnibus ἐμπαικταις, Stoicis & Epicuri de grege porcis Actor. 17. tam animæ, quam corporis interitum in morte fieri statuentibus planè irreparabilem, Matth. 22. Actor. 17. & 23. 2. Pet. 3.
- LXIX.** II. A Philosophis cæteris, non tam animorum immortalitatem, quam corporum resurrectionem planè aperteq; negantibus, secundum illud Lucretij lib. 3. Neq; quisquam expergitus extat, Frigida cum semel est vitæ pausa secuta. Et Senecæ ad Martiam: Mors omnium & solutio est & finis, ultra quem nostra mala non exeunt. Item non potest esse miser, qui nullus est.
- LXX.** III. Ab Hymenæo & Phileto 1. Timot. 1. 2. Timot. 2. Valentinianis, Simonianis, Cerdonianis, Valerianis, Hieracitis, Archonticis, Marcionitis, Manichæis, extrema impietate abnegata carnis resurrectione vna cum ipso carnis domino, spiritualement tantum animæ resurrectionem in hac vita per veram ad Deū conuersionem, seu fidem concedentibus, teste Tertulliano, Irenæo, Epiphano, &c. de qua Apostolus concionatur Rom. 6. Ephes. 2. Coloss. 2.
- LXXI.** IV. Ab Origene, qui etsi corporum piorum resurrectionem non negauit planè: eadem tamen non prioris substantiæ, sed κατ' ἔσιν ætherea & planè spiritalia & σώματα ὡσεὶ ἀσώματα, vt Theodorī verbis vtamur, atq; ideo ἀόρατα, ἢ ἀψήλαφῆτα fore, subtilitate quadam profana disputauit in libris περὶ ἀρχῶν, referente Hieronymo ad Pammachium, contra errores Iohannis Hierosolymitani, qui errorum Origenis patrocinium susceperat, ad Auitum & contra Ruffinum.
- LXXII.** Quæ sententia palam impia euidenter refutatur dicto Christi: Videte manus meas & pedes meos, palpate, &c. spiritus carnem & ossa non habet, &c. Vbi Christus corpus non confictum, sed verum & viuum & suis membris distinctum præbuit discipulis spectandum & contrectandum, citra vllas præstigias, ita vt resurrectio Christi sit imago & similitudo resurrectionis nostræ optima, perfectissimaq;.

Sic Ezechiel in resurrectionis mortuorum descriptione LXXIII.
nequaquam corpora aërea aut ætherea, (non qualitatibus
& conditionibus, verum substantia,) sed ossa accessisse ad
ossa, inquit, & hæc nervis inter se iuncta & deuincta cute coö-
perta, carneq; induta stetisse demum super pedes suos. Et
Iobus: Ego non alius scilicet substantia, non qualitatibus.
Quæ tam perspicua sunt, vt nulla impietate aut profanitate
eludi possint.

*DE TRANSITV MVNDI ET
restitutione omnium, morti & resurrectioni
hominis tanquam parvi mundi
respondente.*

Postquam de minoris mundi ἀναλύσει & ἀποκαταστάσει dictum I.
est, restat, vt & de maioris mundi transitu & instauratio-
ne aliquid atroxatur.

Philosophi veteres de mundo triplicia potissimum II.
somnia falsissima sparserunt. Vel enim tam principio, quam I.
fine carere disputarunt, moti absurditate rationis, primum
motorem DEVM tot retrò seculis ἀρχὴν καὶ ἀπρᾶκτον, vel so-
lum fuisse, vt Plinius & Aristoteles, &c. Vel principium qui- 2.
dem habere, sed fine carere, vt Plato. Vel novos subinde 3.
mundos ex atomis nasci & interire, vt Democritus.

Sed nos in Ecclesia illustribus oraculis Spiritus sancti III.
reuerenter credamus, non tantum ijs, quæ mundum habuisse I. Termi-
principium, de quibus in loco de Creatione actum fuit, sed nus mundi
ijs etiam, quæ eundem certum terminum seu finem quoq; habi-
turum testantur, quorum autoritas tam extra omnem dubi-
tationis aut ἐποχῆς Academicæ piorum aleam posita est, vt
ariculum hunc in dubium vocare audentes D. Petrus pro-
fanos ἐμπαῖκτος & planè impios appellare non vereatur
2. Pet. 3.

F 2

Sunt

- IV. Sunt autem hæc duorum generum I. Testimonia diuina de transitu mundi, Matth. 5. & 24. 2. Pet. 3. 1. Ioh. 2. seu *ἡμέρα τοῦ κόσμου* 1. Cor. 7. II. De seculi consummatione, Matth. 13. 24. 28. Ebr. 6. 9.
- V. I. Quibus adiungantur *τεκμήρια* consummationis seculi instantis & quasi capitibus nostris impendentis, multa admodum conspicua passim vtriusque generi testimoniorum implicata.
- Signa impendentis mundi.
- VI. Quamquam enim notitia articuli seu momenti futuræ consummationis mundi, & redemptionis nostræ latissimæ ac restitutionis omnium longè supra captum & conspectum rationis humanæ posita, in solius diuini pectoris scrinio latent recondita & soli potestati diuinæ reseruatur, Matth. 24. Marc. 13. Act. 1. 1. Thess. 5. 2. Thess. 2. Nequaquam tamen diem illum & horam longo adhuc interuallo abesse, sed præforibus esse, multò minus Calendis Græcorum similem esse, testantur *προφητείας* non modo à Daniele cap. 2. 7. & 12. sed ab ipso Christo etiam prænunciata & quò minus animis simus suspensis, velut *μετεωρίζομενοι*, in omnium oculos, vbiq; locorum, proh dolor, incurrentia.
- VII. Sunt autem hæc partim *ἡγέμενα* tam generalia, quam specialia in creaturis, tam rationis capacibus, quam expertibus, tam pijs quàm impijs, partim ipsi consummationi *αὐτῆς* futura, inter quæ eminet carnalis securitas luxus Sybariticus & fæda libidinum confusio, Matth. 24. Lucæ 17. & 21. *Ἀποστασία* à fide 1. Tim. 4. Turpitude & atrocitas scelerum quam plurimorum 2. Tim. 3. Reuelatio Antichristi 2. Thess. 2. & c.
- VIII. Medium dissolutionis futuræ corporum tam cælestium, quam reliquorum omnium, est ignis 2. Thess. 1. 2. Pet. 3. etsi qualis ille futurus & vnde proditurus sit, libenter ignoremus: cum Augustino de ciu. Dei lib. 20. cap. 16. & 24.
- Mediū dissolutionis.
- IX. IV. De modo vero abolitionis, & restitutionis mundi seu cæli & terræ plena difficultatis & obscuritatis est quæstio. Sunt autem sententiæ de hoc interpretum tam veterū, quam recentium

recentium, perinde ut & philosophorum, duæ præcipuæ. Alij enim ad *φθορὰν*, alij ad *ἀλλοίωσιν* inclinant. Nec desunt rationes, quæ utriusque sententiæ patrocinari videantur.

I. Qui *φθορὰν* seu *πανωλεθείαν* mundi statuunt & mundum quò ad substantiam novum futurum contendunt, tribus potissimum fundamentis nituntur. I. Proprietate verborum scripturæ pereundi, intereundi, transeundi; seu abeundi, fugiendi, non existendi, ut locus non inveniatur amplius, Matt. 5. & 24. Lucae 21. 2. Pet. 3. 1. Ioh. 2. Apocal. 20. Item Creandi novum cælum & novam terram, Ebr. 5.

X.
Prioris sententiæ fundamenta.

II. Quod partium mundi præsentis quarundam siue magis, siue minus nobilium, usus post hanc vitam plane nullus fore videatur, siquidem nec generationi aut corruptioni terra nascentium, neque agnitioni *DEI*, quem facie ad faciem videbimus, amplius inseruituræ sint.

XI.

III. Quod *ἀφθαρσία* & *ἀθανασία* solius sit naturæ rationalis ad imaginem *DEI* conditæ privilegium. Et hi vaticinia prophetarum & Apostolorum de cæli terræque novitate, partim *παραβολικῶς*, seu *κατὰ μεταφορὰν* de spirituali regno gratiæ Christi in hac vita, partim *ἀναγωγικῶς* de æterno regno gloriæ Christi interpretantur, Esa. 65. & 66. 2. Pet. 3. Apoc. 21.

XII.

Qui tam interitum, quam instaurationem machinæ mundi ad qualitates & non ad substantiam referunt & innovatione seu in meliorem statum translatione & pristini ante lapsum splendoris & nitore creaturarum omnium recuperatione futura potius definiunt, salva scilicet substantia, quam abolitione seu corruptione. I. Verbis Davidis se tuentur, De cælis vestimenti instar aliquando vetustate quasi consumendis & in modum vestimenti novam formam consecuturis & velut novam vestem induturis, depositis prioribus sordibus & situ ac squalore, quem ex vetustate contraxerant.

XIII.
Posterioris sententiæ rationes,

II. Concione Apostoli, liberationem creaturæ vanitati subiectæ sola liberatione à servitute corruptionis, cui propter peccatum hominis subiecta est, definiens & non tam ipsum mundum, quò ad substantiam, quam quò ad *ἄνθρωπον*, id est, figuram:

XIV.

figuram seu speciem externam, præteriturum dicentis Rom. 8. & 2. Cor. 7. Cui earundem ἀποικτίσειν Actor. 3. & renovationem cœli & terræ substituit Spiritus sanctus Es. 65. & 2. Petri 3.

XV.

Et hanc sententiam tuentur magno consensu sancti Patres Hieronymus & Augustinus, ille super Esaiæ 30. 51. 65. & 66. & Matth. 24. Hic epistola 78. De ciuit. Di. 1 lib. 20. capit. 14. 16. & 18. ac 24. & de dogmatibus Ecclesiasticis: Elementa, id est, cœlum & terram per ignem non credamus abolenda, sed in melius commutanda, figuram quoque mundi, id est, imaginem, non substantiam transituram, c. 20. Et Chrysoft. homil. 5. ad Theodorum, ubi dicit fore quandam ἀναλογίαν seu proportionem corporum & cæterorum per immortalitatem & gloriam, vt quemadmodum illis propter nostrum peccatum seruitutis & corruptionis iugum inductum fuit: ita nobis à morte liberatis, illa quoque à corruptionis molestia liberanda & ad pristinum splendorem reducenda sint.

XVI.

Verum in his perplacet nobis, modestia Magistri sententiarum, nolētis ea scire, quæ scriptura expressè non definit, qua in parte vestigia Augustini clarissimi luminis veteris Ecclesiæ sequitur laudabiliter, cuius memorabiles sententiæ notissimæ sunt: Magis eligo cautam ignorantiam confiteri, quam falsam scientiam profiteri Epistola 78. Et: Malo dubitare de occultis, quam litigare de incertis lib. 8. de Gen. ad literam, secundum præceptum Apostoli: μὴ φερονεῖν παρ' οἱ θεοῦ φερονεῖν, ἀλλὰ φερονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν Rom. 12.

A Eternus DEVS pater Domini nostri IESU CHRISTI, propter hunc filium mediatorem, per Spiritum S. non modo terrorem mortis πάντων τῶν φοβεῶν φοβερωτάτω clementer nobis minuatur, sed fidem etiam et spem resurrectionis in nobis

*nobis accendat, accensamq; obsignet & confir-
met, nosq; adiuuet & gubernet, ut in huius vita
militia fidem & bonam conscientiam usq; ad
vita finem constanter conseruantes, in resur-
rectione corona immarcessibili iusti-
tia, vita & gloria ornemur
sempiterna, Amen.*

* *
* *



ERRATA.

DE MORTE;

- Thesi 24. legatur fors pro fas.
Th. 41. nobilitate pro mobilitate.
Th. 72. lib. omitatur.
Th. 84. de pro pe homine.

DE RESURRECTIONE.

- Thesi 19. Goël pro Hoël.
Th. 21. Koph dagessatum pro simplici in Likke
phu.
Th. 22. Mibbesari pro Mibbesali.

[Faint, illegible text, possibly a title or header]

ERRATA

PL. NO. 12

PL. NO. 13

PL. NO. 14



99 A 6909

ULB Halle
003 931 315

3




Sb


VD 17

Reho

Hi. 69.







36 (35)

De duobus hominis
nouissimis,
MORTE ET RE-
SURRECTIONE,
Commentatiuncula
Constans *ἑσθησὶ ἀνελδῶσιν* perspicua, Cui breuis
appendix, De fine & reparatione mun-
di annexa est.
Utraq; proposita
A
Zacharia Schiltero S. Theologiae Doctore
& Professore in inclita Acade-
mia Lipsensi.
Ut pro more huius Scholæ publicè de vtraq; sermo-
nes conferantur placidi, cùm veritatis illuſtran-
dæ tùm falsitatis magis conspicuæ
reddendæ causa.
Ad XVI. Diem Mensis Septemb.
ANNO CHRISTI NATI M. D. XCVII.
L I P S I Æ,
Ex Officina typographica Abrahami Lambergi.

